
BOOK 177.3.K546 c.1
KIERKEGAARD # DE NOTIONE ATQUE
TURPITUDINE MENDACHII
3 9153 00063261 4

DE NOTIONE ATQUE TURPITUDINE MENDACII

COMMENTATIO

AUTORE

PETRO CHRISTIANO KIERKEGAARD
PHIL. DOCT.

Omnia lethifero mendacia vulnere laedunt:
Est autem quaedam simulatio criminis expers.
FORBESIUS A CORSE.

GOTTINGAE
TYPIS DIETERICHIANIS.
MDCCCXXIX.

Disputaturis nobis de mendacio, si, ut par est, ad eorum primum respexerimus conamina, qui ante nos satis frequentes hunc locum sibi sumserunt illustrandum, sponte sese offeret observatio, cujus in nostra quoque eam quaestionem tractandi ratione haud exiguum debebit esse momentum. — Eorum etenim si paucissimos quosdam exceperis, qui universam quaestionem ita amplexi sunt, ut et notioni mendacii eruendae et ejusdem ad leges conscientiae relationi inveniendae parem impenderent operam, caeteros omnes miro modo consensisse deprehendes in quaestione ita mutilanda, ut alii (scholastici praecipue doctores et qui eorum premunt vestigia) in notionem constituendam, mentientem a fallente, falsa dicente, errante distinguendum omni nisu incumberent, mendacii autem turpitudinem, tanquam rem et per se satis obviam et traditionis autoritate ultra omnem dubitationem positam, non nisi leviter tangerent, alii vero (reformatarum praecipue ecclesiarum theologi atque philosophi), de notione definienda parum solliciti, in legibus ethicis, quibus sinceritatis atque ve-

racitatis nitatur officium, sermonis usus regi debeat, inveniendis atque exponendis unice versarentur. — Quae res sicuti confert ad explicandum, unde aeternae illae in loco de mendacio lites atque dissensiones, ita vero sperare jubet, si quis, quae sunt ab ingeniosissimis atque doctissimis omnium temporum viris de utroque illo quaestionis de mendacio elemento disputata atque tradita, diligenter cognoverit et inter se contulerit, his porro auxiliis sublevatus universam quaestionem retractaverit, fore, ut ad plenam rei veritatem propius, quam hucusque factum sit, accedatur. — Hac igitur spe erecti, simul vero aliorum errore, nobis ut caveamus, moniti, ad quaestionem nostram transibimus capessendam, in qua quo ordine ad singula procedendum judicemus, vix opus est, ut doceamus lectores, quippe quum ex modo dictis manifesto sequatur, nobis judicibus duobus capitibus rem absolvi, quorum prius in notione mendacii versetur constituenda, posterius sit de mendacii ad leges conscientiae relatione.

CAPUT I.

DE NOTIONE MENDACII.

§ 1.

Priusquam ad quaestionem hoc capite tractandam accedamus, ne de verbis postea difficultates oriantur, monendum erit, distinctionis, quam nonnunquam factam esse constat, mentiri inter et mendacium dicere, ex qua hoc nihil sit aliud quam sive scientem sive nescientem falsa proferre, nullam a nobis in sequentibus habitum iri rationem *a*), quam vero posuerunt post Lombardum nonnulli regulam, ut ad mentiendum formalis sufficeret falsitas, ad mendacium vero materialis necessario requireretur, eam nihilo magis respiciendam nobis videri *b*).

---

a) Cfr. Gellii Noctes Attic. XI, 11. Lamb. Danaei Ethic. Christ. (Genevae 1601. 8.) l. II. c. 16. fol. 251. Hoornbeek Theolog. practicae (Ultrajecti 1663. 4.) l. III. c. 1. pag. 276. J. Crell Ethices Aristotelicae (Cosmopoli 1681. 8.) Part. II. p. 168. Refutavit hanc opinionem Gesnerus in Thesauro sub voce.

b) Sententiarum libri IV. (Rothomag. 1651. 4.) l. III. distinct. 38. B et C. Bonaventura in Libros SS.

Ut enim taceamus, alterutri sententiae, quoniam sese invicem excludant, necessario esse valedicendum, utramque niti apparet opinione paucorum, adversari autem usui loquendi, cujus vim atque consensum vel inde intelligere licet, quod est, ubi sui oblitos istarum argutiarum provexerit patronos *c*). Nos contra, usum loquendi, ad quem provocavimus, ducem eligentes, mendacium partim actum mentiendi significare statuimus, partim id ipsum, quod mentiendo est enuntiatum, eodem porro, si eo, quem priore loco commemoravimus, sensu usurpetur, rem redire judicamus, sive mentiendi quaerere instituerimus sive mendacii notionem.

Quibus ita constitutis, de hac notione videatur invenienda et reali, quam vocant, definitione enuntianda. Quamvis autem facillima inventu videri possit notio, quam ex usu vitae communis oriundam ita teneat, certe tenere sibi videatur incultissimus quisque, ut de factis

---

(Lugduni 1510. fol.) ibidem n. 4. Thomas Aq. in LL. SS. (in Oper. Paris. 1660. fol. tomo nono) ibidem q. 1. art. 1. Durandus in LL. SS. (Paris. 1505. fol.) ibidem q. 1.

c) Ita ipse Lombardus l. cit. verbis Augustini usus, "nec ille, inquit, liber est a mendacio, qui ore nesciens loquitur verum, sciens autem voluntate mentitur"; ubi mendacium de formali tantum falsitate intelligi, manifestum est.

dictisve ei aut subjiciendis aut eximendis non dubitet ferre sententiam: longe aliud tamen sequi videtur ex infinito dissensu eorum, qui, in vagis istis atque obscuris, ut opinabantur, vulgi cogitationibus subsistere dedignati, exactam ejus definitionem eruere aggressi sunt. Quum igitur non possimus quidem dubitare, quin eadem omnibus obversata fuerit notio, sit vero etiam concedendum, esse eam a cunctis, aut, si quem recte definiisse faciamus, a caeteris omnibus inter describendum haud parum immutatam atque temeratam: ante omnia erunt nobis quam diligentissime circumspicienda et cum lectoribus communicanda adjumenta ac veluti auxilia, quibus fisi ad veram mentiendi definitionem perveniri posse speremus, indicanda erit via, cui in ea quaerenda insistendum esse statuamus. — Jam vero patet, quamvis nesciatur de mendacio, non nesciri tamen de mendaciis. Quantacunque enim et est et fuit in constituenda notione diversitas, quantacunque inde orta circa singula quoque dissensio, quippe quum ad mendacia traherent alii, quae alii de numero eorum vellent exemta, manent tamen agendi vel rectius dicendi quaedam rationes, quas communis omnium consensus huc referendas esse evincat. Exinde autem sequitur, nisi fallimur, deprehensa hìc a nobis teneri genuina mendacii exempla, in quibus ut insit hoc et

illud, quod non faciat ad notionem mendacii, fieri quidem possit, ut vero absit quidquam ad essentiam notionis, quam quaerimus, constituendam necessarium, nullo modo fieri queat. Erit igitur nobis videndum, num qua ratione cavere possimus, ne, quae singulis exemplis sint propria, cum iis commutemus, ob quae mendaciis annumerentur; illa enim si sejungere contigerit, hinc exituram esse manifestum est veram atque genuinam, quam quaerimus, mendacii definitionem. "At vix ac ne vix quidem eo pervenies, dicat aliquis, nisi enim in promptu habueris claram atque distinctam mendacii notionem, non est intelligere, quanam tandem ratione in exemplis ea dignoscere possis, propter quae mendacio subjiciantur, ab iis, quae sint singulis propria. Per orbem igitur revolvaris necesse est, quippe qui notionem quaesiturus sis in exemplis, duce atque ministra (neque enim aliam habes) eadem illa notione." Cadet vero, speramus, ista suspicio, ubi exposuerimus, quibusnam usi indiciis statuere conaturi simus, quid sit in singulis exemplis ad mendacium pertinens, quid non. Apparet etenim, etsi notionem aliquam non teneamus nisi vagam parumque distinctam, posse tamen nobis constare de nexu quodam atque relatione, qua cum caeteris a nobis cogitatis cohaereat, quibusnam affinis sit notionibus, quibusnam oppo-

sita atque disparata, ut igitur in cogitationum nostrarum systemate locum ei assignare valeamus, ubi positis undique terminis regnet. Quod si in universum valere conceditur, restat, ut inspiciamus, utrum tale quid in hac nostra notione usu veniat necne: et fatebuntur quidem, spero, omnes, hac ratione cohaerere mentiendi notionem cum notionibus fallendi, errandi, falsa et vera loquendi cet.; in quibus constituendis partim nullae occurrant difficultates, partim admodum facile solvendae. Haec autem relatio, hic nexus non est arbitrarius, sequitur contra necessario ex ipsarum notionum natura. Hinc igitur petituri sumus notas, quibus in mendaciis mendacium agnoscatur, essentia, ut loquuntur philosophi, ab accidentibus distinguatur, ea lege, ut, quodcunque in exemplis obvium manente illo nexu tolli non possit, id ea ipsa re ad mendacii essentiam pertinere intelligatur, quodcunque inconcusso illo aut mutari possit aut tolli, id exemplis, non quatenus mendacia sint, sed aliunde inesse statuatur. Neque vero desunt omnino alia subsidia, quibus inter notionem hac via quaerendam uti liceat. Non erit enim (ut unum tantum commemoremus, quod plerumque negligitur) sine fructu diligenter animadvertisse et constanter tenuisse, quod jam supra verbo tetigimus, notionem mendacii esse ex usu vitae communis oriundam ibique adhuc-

dum vivere; mendacia, sicuti quotidie, quod sane dolendum est, committantur, ita quoque vulgo commemorari. Inde enim sequitur, permagnam esse debere sermonis quotidiani atque vulgaris in hac nòtione constituenda autoritatem, eumque, ubi satis sibi constet atque relativa, ut ita dicam, universalitate gaudeat, argumenti vim habere, ubi in diversas partes abeat, partim nostros labores poscere ad inveniendum, quid sit in ipsius notionis natura, quod huic ambiguitati locum dederit, partim earum definitionum, ex quibus hoc explicari nequeat, arguere vanitatem.

Diximus esse agendi rationes, quae, quamvis diversae sint hominum de notione mendacii vel sententiae vel opiniones, ab omnibus tamen mendacia judicentur. Earum jam opus erit afferri descriptiones, ut, examinatis singulis earum notis, quaenam nequeant manente mendacio tolli, intelligamus. Sunt autem duae earum classes: prior eorum complectitur actiones, qui verbis sive ore prolatis sive litteris consignatis aliam, quam quae revera ipsorum est, persuasionem hoc consilio enuntiant, ut alii falsam sententiam arripiant sibi perniciosam; ad posteriorem pertinet, si quis, plane eadem usus in aliis fallendis ratione, hac re vanam suam venatus fuerit gloriolam. — Plura equidem afferri poterunt, quae semper et ubivis mendacia au-

diant, exempla, si ad specialiora descendere voluerimus minutissime describenda; classes autem paulo latius patentes (tanta est circa hoc nomen linguarum confusio), vix afferri posse putaverim. Ut enim ad ea tantum respiciamus, de quibus minima et sit et fuerit dissensio, non defuerunt, qui mendaciorum nomine insigniendas negarent quasdam inter alios instituendos, inter mea item commoda tuenda licite, ut opinabantur, adhibendas falsas assertiones *d*). — Sufficient vero ad propositum nostrum binae, quas jam commemoravimus, de quibus nulla est dissensio, exemplorum classes, de quarum singulis notis jam erit ex opusculi nostri ratione disserendum.

§ 2.

Duplicem distinguere licet mentientis, qualem descripsimus, finem: alterum propiorem in utroque exemplo eundem, quod vult fallere, alterum remotiorem, quem fallendo attingere conatur, in exemplis diversum. De remotiore

---

d) Baumgarten-Crusius Lehrbuch der christlichen Sittenlehre (Leipz. 1826.) § 64. p. 331 et 332. (Accommodation). — Puffendorf de Jure naturae et gentium (Francof. ad Moenum 1684.) l. IV. c. 1. § 7 ex., collat. § 8, ubi definitio proponitur mendacii.

postea videbitur, hoc loco de fallendi voluntate. Vix autem opus erit moneamus, nobis sicuti plerisque, qui de mendacio scripserunt, nihil aliud esse voluntatem fallendi, quam voluntatem aliis falsa persuadendi, sive haec usui eorum inservire putaverit loquens, sive secus *e*); eam enim si quis intelligere voluerit de voluntate aliis per fallaciam nocendi, commiscebit, quos modo distinximus, mentientis fines. — Inesse autem hanc fallendi voluntatem cunctis mendaciis atque ad eorum notionem constituendam ita facere, ut, nisi eam omnino volueris dissolvere, inde separari nequeat, licet id a plerisque partim disertis doceatur verbis, partim ex sensu communi sumatur *f*), non erit tamen ideo nobis, si certis uti

---

e) Cfrantur Institutiones juris naturae et gentium autore Chr. L. B. de Wolff (Halae Magd. 1750.) § 356: "Fallere alterum dicitur, qui verbis vel factis alterum inducit, ut pro vero habeat, quod non est." Danaei Ethic. christ. l. II. c. 16. fol. 266. — J. F. v. Flatt Vorlesungen über christliche Moral herausgegeben v. Steudel (Tüb. 1823.) p. 514.

f) Augustinus contra mendacium (ed. Bened. 1701.) c. 12. Summa aurea in IV libros sentent. a. Guilielmo Altissiodorensi (Paris 1500. fol.) l. III. tract. 18. q. 2: "falsa vocis significatio est sicut materia in mendacio et intentio fallendi est sicut forma." Chr. Thomasii institutiones jurisprudentiae divinae (Halae 1717. 4.) l. II. c. 8. § 58. 59. Fichte System der Sittenlehre

volumus fundamentis, pro vero arripiendum, contra et, quo jure id doceatur, quaerendum, et paucorum quorundam secus sentientium examinandae opiniones. Ab his fiat initium.

Primum igitur theologi quidam, quam in Sacra Scriptura deprehendere sibi visi sunt errandi atque mentiendi permutationem, eam in doctrina de mendacio retinere conati, errores graves atque perniciosos mendaciis annumerare non dubitarunt *g*). Quod si recte fieri largiti fuerimus, concedere cogemur, esse mendacia sine fallendi voluntate. At, sicuti ipsi parum certi sunt hujus sententiae, unde fit, ut nonnunquam latiore tantum sensu et quodam modo mendacia vocari tradant, quos diximus, erro-

---

nach den Principien der Wissenschaftlehre (1798.) pag. 380. Schleiermacher Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre pag. 289.

g) Guilielmus Amesius in Medulla theologica (Oper. Amstel. 1658. 12mò.) l. II. c. 21. § 24. "mendacio annumeratur asseveratio rei incertae pro certa, quamvis putemus esse veram." Idem de conscientia et ejus jure vel casibus (ibidem.) l. V. c. 53. § 4. 5. Theologiae moralis libri decem autore J. Forbesio a Corse (Oper. Amstel. 1703. fol.) l. IX. c. 6. § 7: "ubi enim ipse error est in se perniciosus,' tunc omne falsiloquium, quo quis errorem illum suum externo sermone affirmat, habetur pro pernicioso mendacio."

res *h*), ita vix ac ne vix quidem aliis sese ista doctrina probabit. — Quid enim est magis absonum, quam eodem conjici, quae in voluntatis arbitrio sint posita, ethicis igitur regulis subjecta, id quod de mendaciis sensu vulgari nemo, puto, negaverit, atque ea, quorum secum ferat notio, ut nisi in nolentes cadere nequeant, cujus generis omnes esse errores, non minus est manifestum? Quis vero audire sustinebit, quod ex hac sententia sequitur necessario, homines, quo sint in iis, quae vera judicent, tradendis diligentiores, eo plura, si falsa sit eorum persuasio, committere mendacia? — Atque haec quidem verbo satis erit tetigisse, quum, neminem nisi scientem ac volentem mentiri, sit per se clarum. Deinde Thomas Aquinas et, qui eum sequuntur, nonnulli ad mendacium constituendum sufficere docent falsa dicendi voluntatem, fallendi alios negant requiri consilium *i*). Quibuscum alii, verbis ac specie dis-

---

h) Forbesius l. cit. § 7 in. § 12:
"Stricte mentiri est contraria promere menti
Laxius est menti aut vero contraria fari."

i) Thomae Aquin. summa theologica (Lugduni 1738. fol.) in sec. sec. qu. 110. art. 1. "quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii sed ad quandam perfectionem ipsius" c. Summa Antonini archiep. Florent. (Basileae, sine anno. fol.) Part. II.

sidentes, re ipsa consentientes, fallendi quidem voluntatem inesse tradunt notioni mendacii, ita autem definiunt istud fallere, ut nihil sit aliud, quam scientem falsa proferre, sive ea spe eoque consilio id fiat, ut falsa aliis persuadeantur, sive secus *k*). Unde Joannes Azorius *l*): "si roges, inquit, an ad mendacium requiratur, ut sit dictum ex intentione fallendi audientem — — respondetur, non requiri, sed satis est, ut sit dictum contra id, quod mente credimus, quando loquimur, sive intendamus alium audientem decipere, sive non. Si roges, an ad

---

tit. 10. c. 1. § 1: "Secundum (in mendacio) est expressio ejus, quod dicitur, contra illud, quod habet in mente, sive intendat in mente audientis generare falsam opinionem sive non, ut cum dicit, quod audientes sciunt non esse verum" et infra: "Tertium — — — est quaedam accidentalis perfectio — — et haec est intentio generandi falsam opinionem in audiente: cum hac enim intentione mendacium fortius est et tamen posset esse mendacium sine ista."

k) Bonaventura in LL. SS. l. III. dist. 38. qu. 5. n. 50. Durandus in LL. SS. l. III. distinct. 38. qu. 1. "mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi i. e. falsum dicendi" cet.

l) Institution. Moral. autore J. Azorio tomus tertius s. pars tertia (Lugduni 1622. fol.) l. XIII. c. 1. pag. 902. — Doctrinam Aquinatis cum sententia vulgari conciliare studuit Nic. Abram in commentatione de mendacio ac veritate (edit. Paris. 1648. fol. simul cum Pharo Vet. Testamenti) l. I. c. 15. § 107.

mendacium requiratur, ut sit dictum ex animo et intentione dicendi falsum, respondetur requiri; et hoc est quod aliqui docent, ad mendacium requiri, ut sit dictum ex intentione fallendi audientem: nam nihil aliud videntur docere, quam mendacium esse dictum ex intentione dicendi falsum" cet. Qui omnes quid sibi velint cum istis argutiis, difficile est intelligere. Ad verba enim si respexeris, quibus (satis breviter plerique et obscure) hanc doctrinam tradiderunt, inde eam ortam esse putabis, quod tropos, apologos, hyperbolas cet. falsa dicendi judicaverint exempla, eaque omnia, quamquam desiderari in iis intelligerent fallendi animum, mendaciis voluerint annumerare. At impedimento est, quod ea aliis in locis e mendaciorum numero disertis verbis excludunt *m*). Sin falsa dicere non simpliciter intelligendum esse statueris de quovis effato, quod falsum esse

m) Cfratur Thomae Aquin. commentarius in LL. SS. l. III. dist. 38. qu. 1. art. 3: „sic non contingit in eis (verbis sacrae scripturae) mendacium, quia in figurativis locutionibus non est sensus verborum, quem primo adspectu faciunt, sed quem proferens sub tali modo loquendi facere intendit." Similia habent inter Scholasticos haud pauci, quibus plerumque abutuntur in excusandis seu potius negandis etiam manifestis patriarcharum et sanctorum mendaciis. — Conferenda quoque, quae hac de re habet Nic. Abram in opere supra citato l. I. c. 15.

sciat, qui profert, sed de iis tantum, quibus asseratur aliquid, quo sensu haud pauci et intelligendam putarunt illam doctrinam et comprobandam *n*), per quasdam verborum ambages vulgarem tradere deprehendentur sententiam. Nihil enim interest aliud, si quid video, inter asserendum aliquid idemque simpliciter dicendum, nisi quod, quae asserimus, ea autoritate nostra confirmari aliisque persuaderi volumus; unde sequitur, non posse fieri, quin, qui falsa sciens asserat, alios fallere velit.

Quae quum ita se habeant, neque idonea allata sint mendaciorum sine fallendi animo exempla *o*), unde, utro sensu hanc doctrinam intellectam voluerint autores, perspiciamus, id

---

n) Amesius in Medulla theol. l. II. c. 21. § 21: "Intentio fallendi, quamvis semper fere testimonium falsum (ɔ: mendacium cfr. § 18.) comitetur, non est tamen de illius essentia, neque necessario requiritur ad mendacium, quamvis enim quis noverit, illum cum quo agit non posse suo mendacio falli, si tamen intentionem falsum asserendi habeat in dicendo, nihilominus mentitur, quam si fallendi spem haberet." § 23. — Forbesii theol. moralis l. IX. c. 8. prop. 8. § 19. Fr. Lycheti Commentarius in Scoti quaestiones in LL. SS. (adjungitur in ed. Operum Scoti Lugd. 1639. fol.) ad quaestionem in l. III. dist. 38. unicam n. 2 et 5.

o) In exemplis Lycheti l. c. n. 5 et 16 non desideratur sed latet quodammodo fallendi voluntas, alios autem, qui in hanc rem exempla attulerint, nescio.

in medio relinquendum; nobis breviter quaerendum, num jure suo scriptorum plerique fallendi notionem in mendacio constituendo necessariam esse statuerint. Et patet quidem, — quod etiam intellexisse videntur ii, quorum modo commemoravimus doctrinam, — si ad mendacium non requiri concesserimus fallendi voluntatem, referendas fore ad mendacia, quibus cum caetera omnia habeant communia, cunctas falsa scienter proferendi, quonam tandem id fiat consilio, rationes. Erunt igitur, id si largiti fuerimus, mendacia, non illae quidem orationis figurae, ubi specie falsum, re ipsa verum profertur *p*), sed ea permulta, quae a poetis, neque ut simpliciter pro veris arripiantur, neque ut occulte ac per contrarium verum indicent, ad oblectandos autem, movendos, permulcendos mortalium animos confinguntur: mendacia erunt, ut alio exemplo utamur, quae hilaritatis excitandae causa proponuntur inter bene gnaros non credenda sed ridenda commenta. At haec omnia et, si quae sunt horum similia falsa loquendi exempla, inter mendacia esse numeranda, vix sibi persuadebit quisquam. Manifestum est igitur, esse in notione mendacii, quo ab ejusmodi differat false dictis. — Jam vero modo meminerimus, non e

---

p) Eae enim vera dicendi exemplis sunt annumerandae cfr. §. 4. sub fin.

schola in vitam, contra e vita in scholam transiisse mendacii notionem, non esse igitur alias ejus notas exspectandas, quam quae alicujus sint ad vitam humanam momenti: vix ac ne vix quidem fieri poterit, quin ad gravissimum illud ultroque sese offerens (id quod nescio, an de nullo alio dicere liceat) respiciendum statuamus discrimen eorum, qui velint et qui nolint fallere, fallendi igitur voluntatem mendacii notam faciamus. Adde, quod egregie confirmatur haec sententia eorum exemplo, qui de mendacio sese purgaturi, falsa esse, si per se spectentur, quae dixerint, minime eunt infitias, at sibi persuasissimum fuisse ostendunt, fore, ut nemo his verborum ambagibus falleretur, omnes contra veram ipsorum subodorarentur sententiam. In qua excusatione primum id latet, si alios in errorem induci voluissent, haud injuria mendacium potuisse commemorari, praeter hanc fallendi voluntatem nihil in mendacio essentiale desiderari (alias enim non ad animi affectionem provocarent, quam, nisi ex ipsorum jam dubiae autoritatis testimonio, alii cognoscere nequeant), deinde tanti esse hanc voluntatem, ut caeteris omnibus manentibus, eà tantum sublata, nullum sit mendacium. — Manifestum est igitur, nisi notionem quandam, nescio unde petitam, mendacii nomine inducere maluerimus, quam ejus, quod ab omnibus ita vocatur, eruere definitionem, non

posse e numero eorum, quae mendacium constituant, excludi fallendi voluntatem. —

§ 3.

In descriptionibus praemissis mentientem verbis uti fecimus, jam opus erit quaeratur, utrum hoc sit in mendacio essentiale, an aliis quoque signis, quin omnibus promiscue, mentiri possint homines. Et facilis quidem videri poterit primo adspectu responsio. Satis multa enim praebet sermo quotidianus exempla, ubi, quae verbis fiant, mendaciis annumerentur fallaciae, quae aliis signis, non item. Unde factum est, ut eorum, qui de mendacio scripserunt, nonnulli, veram esse in illa signorum divisione ponendam statuerint mendacium a caeteris fallaciis distinguendi rationem *q*), alii, quibus minus sese commendaret ea sententia, disertis tamen verbis adjiciendum putaverint, ubi de mendacio non verborum sed aliarum externarum actionum intelligi vellent, idque ita demum inter mendacia referendum docuerint, si sensu latiore

---

q) Ita Hugo Grotius de Jure belli ac pacis (Francof. 1691. 4.) l. III. c. 1. § 8. Lampe in Delineatione theologiae activae (Traject. 1727. 4.) l. II. c. 8. § 21: "mendacium — — comprehendit quicquid a lingua contra mentem profertur, sive omnia verba, quibus proximum in errorem inducere contendimus."

sumatur hoc nomen *r*). — Fuerunt equidem, qui, nescio quibus inducti rationibus, omnino negligendum putarent circa quaestionem nostram testimonium atque autoritatem usus loquendi, quique, omnibus promiscue signis mendacia committi, haud dubitarent pronunciare *s*). Quin ita sibi constant quidam in hac sententia tuenda, ut, si quis tacendo erroris aliis exstiterit autor, eum quoque satis pro imperio mendacibus adscribi jubeant *t*). At est tamen manifestum (ut in uno tantum exemplo ejus, quem negligunt, usus loquendi monstremus vim atque consensum), nemini cuiquam persuasum iri, Horatium illum, simulata fuga Curiatios distrahentem, proprio hujus verbi sensu fuisse mentitum, quum tamen, si clamasset idem, sese

---

r) Guilierm. Altissiodor. summ. aur. l. III. tract. 18. qu. 2. Thom. Aquin. sec. sec. qu. 111. art. 1. Bonaventura in LL. SS. l. III. dist. 38. n. 5. J. Azor Instit. Moral. part. tertiae lib. XIII. c. 1. pag. 901.

s) Jacques Bernard discours sur le mensonge (adjicitur in ed. Operis: Traité de l'excellence de la religion. Amst. 1732. 8.) c. 1. § 3 et 4: toute parole prononcée ou toute action faite dans le dessein de jetter le prochain dans l'erreur est un véritable mensonge. Saurin Betrachtungen über die wichtigsten Begebenheiten des A. u. N. Testaments übersetzt von Rambach (Rostock 1746.) 2ter Theil. Nebenabhandlung von den Lügen § 13.

t) Danaei Ethic. chr. l. II. c. 16. fol. 271.

jam desperata victoria inter commilitonum arma perfugium quaesiturum, mendacii eum teneri, una foret omnium vox. Quamquam autem vel hinc apparet satis, esse unam aliquam mendacii notam e natura signorum petendam, non licebit tamen in illa subsistere doctrina, ex qua ad verborum fallacias mendacium restringitur. Ut enim taceamus, ex tali inductione, quae plena fieri nequeat, oriundam esse hanc doctrinam, quoniam nimirum viri docti, quum animadvertissent, multas, quae verbis non fierent, fallacias e mendaciorum eximi numero, contra, quae verbis fierent, inter ea referri, inde ad verborum in mendacio constituendo necessitatem concludi posse statuerint: at liquidum praebet adversus eam argumentum, quod diligentius inspicienti fallendi sese offerunt exempla (rariora fortasse, verum id nihil ad rem), quae, quamvis aliorum signorum sint, non verborum, ad mendacia tamen communi referantur consensu. Quod est etiam ab iis, qui in nostra quaestione sunt accuratissime versati, observatum. Solenne est iis exemplum mutorum aliorumque, quibus signis vocis uti vel nefas sit vel parum tutum *u*); aliud exemplum, quod ab iis directe

---

u) Forbes. Theolog. Moralis l. IX. c. 9. § 5. Thom. Aquin. comment. in LL. SS. l. III. dist. 38. qu. 1. art. 1. Lycheti comment. in Scoti quaestion. l. III

ad verba trahitur ideoque non speciatim commemoratur, est sermonis scripti.

Igitur ut, quibusnam signis mendacium committi queat, liquido intelligamus, alia signorum divisione opus est, in qua quaerenda paulo altius rem repetamus necesse erit. Ut autem a verbis fiat initium, id eis, si quid video, interest cum caeteris signorum generibus, quod cogitatis, sensu hujus verbi strictissimo, inserviunt indicandis, non rebus, quatenus cogitatis opponuntur; cujus distinctionis ea est vis, ut, quaecunque verbis significari debeant, ea sub intellectus, ut ita dicam, forma menti sint praesentia necesse sit, notionibusque comprehensa et a nobis teneantur et cum aliis communicentur. Quod si alia circumspicere volueris signa, per quae directe, quemadmodum fit in verbis, cogitata exprimi soleant, nulla invenies; quae autem ipsorum rursus sint verborum ac per hoc quodam modo intellectuum signa, haud ita pauca sese nobis offerre, neminem facile latere putaverim. Primum locum tenent, quas modo commemoravimus, scriptura factae significationes, quarum adeo frequens jam evasit usus, ut,

---

dist. 38. qu. unic. n. 6. Philosophia moralis autore Chr. de Wolff (Halae Magd. 1753.) Part. V. § 532 et not.

quas verborum esse neque nisi modo indirecto intellectuum indices, nemini diligentius inspicienti dubium esse possit, eae tamen directis vulgo annumerentur. Sequuntur mutorum aliorumque per nutus atque gestus cogitata communicandi rationes; quibus tertio loco addendae, si quae sunt aliae in commercio hominum sive plurium sive pauciorum, ex composito introductae, verborum vicariae significationes. Quae quum ita sint, et ad has signorum classes reduci posse manifestum sit, quas modo ostendimus mendaciis annumerari praeter eas, quae per verba fiant, fallacias: haud aegre inducimur, ut statuamus, ad mendacium requiri, ut in iis signis versetur, quorum ope (sive directe id fiat, sive secus) cogitata cum hominibus homines communicent. Ne vero, quod in aliis improbavimus, inductione parum integra duci videamur, observandum erit, esse, quo egregie confirmetur sententia nostra, argumentum. Etenim quum, quas commemoravimus significationes, eae cunctae sint arbitrariae *v*), fieri potest, ut, quae inter hos vel illos

---

v) De divisione illa signorum, ex qua alia sunt naturalia alia arbitraria, videantur Puffendorf de Jure Naturae et Gentium l. IV. c. 1. § 2, Nic. Abram de mendacio ac veritate l. I. c. 2. § 3. 4. 5, Chr. Thomasius in Institutionibus Jurisprudentiae divinae l. II. c. 8. § 12. 13.

homines verborum sint vicaria, eadem inter alios non nisi rerum sint signa. Jam vero si quis, quibus coetus quidam hominum verborum vice uti soleat signis, iis inter ejus consuetudinis expertes ad fallendum usus fuerit, si v. c., quo muti cogitata exprimant gestu, eo aut iram aut aliam animi affectionem ita simulaverit, ut ejus non notionem exprimere sed speciem praebere voluerit: is a nemine mentitus esse dicetur. Cujus rei nulla alia inveniri aut fingi poterit ratio, quam quod cogitatorum non usus sit, quantum ad ipsum et eos, quos fefellerit, attinet, signis, id autem ad mendacium requiratur. — Objiciat aliquis, non esse igitur proprie in signis positam hanc mendacii notam, latere eam multo magis in eorum natura, quae significentur. Qui observet velim, non commutandam esse actionem, quae signi instar adhiberi possit, cum signo h. e. eadem actione ad certam quandam rem indicandam destinata; actiones enim si per se spectaveris, nihil est in iis, cur magis mentiatur, qui per hanc vel illam fallat, quam qui per alias, at est in signis, in his nimirum destinatio ad cogitata enuntianda, in illis ad aliam quamcunque rem. Caeterum, si quis dicere maluerit, mentientem fallere in cogitatis cum aliis communicandis, quam in adhibendis cogitatorum signis, non magnopere reluctabimur, quippe qui ita arcte

utrumque statuamus cohaerere, ut separari nequeat, eandemque mendacii notam illic ab interna atque constitutiva qualitate describi judicemus, hìc ab externa atque consecutiva. Concludimus igitur, secundam hanc esse mendacii notam, ut, nisi in cogitatis cum aliis communicandis sive in signis, quae circa hoc cogitatorum versentur commercium, h. e. in sermone, esse non possit *). — Restat, ut moneamus, non deesse omnino, qui in mendacio definiendo aut hanc ipsam posuerint notam, aut inde prope absint *w*): quanti autem esse debeat momenti

*) Quoties igitur in seqq. mentientium commemorabimus sermonem, hoc nomen intellectum volumus de omnibus, quae in cogitatorum commercio adhibentur, signis, sive verba sint sive verborum vicaria, ceterum non nescientes, esse, qui non nisi vocalem scriptumque, atque adeo, qui non nisi vocalem agnoscant sermonem, notionis etenim veritatem malumus consulere, quam, qui hìc fluctuat, loquendi usum.

w) Cfratur Amesius de conscientia et ejus jure l. V. c. 53. § 2: "hoc vero requiritur ad testimonium falsum, quod sit peccatum sermonis, id est, sententiae vel ore vel scripto vel signo aliquo verbis aequipollente significatae." Kant metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre (Königsberg 1797.) pag. 83: "jede vorsetzliche Unwahrheit in Aeusserung seiner Gedanken." Schwarz evangelisch-christliche Ethik (Heidelberg 1821.) § 84 in.: "die Wahrhaftigkeit ist die Uebereinstimmung der Mittheilung unserer Gedanken mit der Ueberzeugung von ihrer Wahrheit."

in solvenda quaestione de honestate aut turpitudine mendacii, a caeteris fallaciis sejuncti, (quod in posteriore hujus opusculi parte monstrabitur), id a nemine commemorari.

§ 4.

Occurrere solet in definitionibus vulgaribus, qui mentiatur, eum falsa dicere, deinde vero docent autores, sicuti vera ita et falsa dicendi duplicem esse sensum, prouti dictorum spectetur aut cum re ipsa, de qua sermo sit, aut cum persuasione loquentis vel convenientia vel discrepantia: monent porro, hoc esse, quo sibi opponantur mentiens et errans, quod mentiens subjective falsa enuntiet, contra persuasionem loquatur, errans objective falsa tradat rerumque naturae contraria x). Unde sequitur, quod ab eorum quoque nonnullis disertis verbis traditur y), fieri posse, ut, qui mentiatur, idem tamen, si rem spectes, vera enuntiet. Quae omnia verbo commemorasse

x) August. de mendacio c. 3. Nic. Abram de mendacio ac veritate l. I. c. 11. Mosheim Sittenlehre der heiligen Schrift fortgesetzt von P. Miller (Halle et Helmstedt 1765. 4.) 7ter Theil. § 26 Erklärung pag. 408. Pictet la morale chrétienne ou l'art de bien vivre (Genev. 1709. 12.) tom. V. l. VI. c. 13. pag. 280.

y) August. loc. cit. Abram l. I. c. 3. § 12. cet.

satis erit, quoniam ex descriptionibus istis mentientium, ad quas universum hunc de notis mendacii locum revocare in animo est, manifesto sequuntur. Ibi enim non ambiguo isto falsa loquendi usi sumus vocabulo; diximus contra, mentientem ea loqui, quae cum ipsius pugnent persuasione: quicunque igitur nihil se in descriptionibus illis desiderasse mendacio essentiale fassus fuerit, idem, quoniam ne verbo quidem in iis tangitur falsitas objectiva, concedere cogetur, hanc posse manente mendacio tolli, mentientem igitur (nolentem nimirum) posse objective vera dicere. At id ipsum, quod enuntiatio abhorret a persuasione loquentis, utrum notam constituat mendacii, an subjective vera proferendo mendacium dici possit, jam erit videndum. — Inventa autem dedisse mortalium in dolis excogitandis sollertiam talia quoque artificia, per quae, vere suam enuntiantes sententiam, alios tamen hoc ipso, quod falli caveant, fallere possint, neminem latere putaverim: ita Augustinus mendacem, postquam omnem fidem amiserit, ea re utentem vera loqui facit, quia sciat, audientes contrariam ei, quam attulerit, arrepturos esse sententiam *z*); eodem redeunt haud pauca strategemata, ut quum imperatores callidissimi, bene gnari, quicquid ipsi

---

z) De mendacio c. 4. Puffendorf l. IV. c. 1. § 9.

de consiliis suis enuntiarint, id hostibus fore admodum suspectum, vere sua haud dubitarunt publice proponere consilia *a*). — At sintne tales inventae atque adhibitae fallendi artes, alia est quaestio, alia, utrum mendaciis adscribi debeant necne, imo vero non alia sed nulla est quaestio. Quum enim a mendacio sejungendum docuerimus omnem veritatis atque falsitatis objectivae respectum, neque tamen cuiquam dubium esse possit, quin unus aliquis sit vera dicendi sensus, quo mendacio ita opponatur, ut alterum alterum excludat: quid tandem relinquitur aliud, quam ut subjectivam esse concedamus veritatem, cui absolute atque necessario opponatur mendacium, id igitur sine enuntiatione subjective falsa cogitari posse negemus? Est haec igitur tertia mendacii nota, ut nisi in sermone subjective falso esse non possit.

"Aequivocationes igitur, succinent earum amatores, atque restrictiones, reservationes item mentales non sunt mendacia, in iis enim manifesta est veri enuntiatio, quamquam, quoniam

---

a) Pictet la morale chrétienne l. VI. c. 13. p. 276: Aussi on se défie ordinairement des generaux d'armée, et il y en a eu, qui ont profité de la mauvaise opinion, qu'on avoit d'eux, en disant les choses telles, qu'elles étoient, dans la pensée, que l'on ne manqueroit pas de prendre le contrepié.

perperam plerumque ab audientibus intelliguntur, pugnare videntur cum persuasione loquentis." — Utrum vero mendacia haberi debeant tales astutiae necne, tum demum commode quaeretur, quando nobis constiterit de notione mendacii, in qua eruenda versamur; sed quod vera loqui docent eos, qui istas adhibeant artes, id non praetermittendum esse existimamus, quoniam dissensum indicat circa notionem per se clarissimam vera loquendi. Quae quam misere debeat ab iis torqueri, ut levissima quadam probabilitatis specie ac veluti umbra istam suam commendare queant sententiam, haud aegre perspici poterit. Quando enim vera dicere judicamur, neque verba per se spectantur, quippe quae, si a sententia eorum ope exposita discesseris, nihil habeant omnino aut cum veritate aut falsitate rei, neque quicunque per ea fortasse exprimi posset sensus, mutato tempore, loco, homine, quocum loquimur, mutata denique universa rei circumstantia; sed quae nostra est sententia, eam si ita verbis expresserimus, ut qualis nobis obversetur, talem ab aliis intellectam voluerimus, merito censebimur vera dixisse, sin secus, falsa *b*). Hoc igitur tenentes de singulis breviter disseremus. — Ad aequivocationes primum

---

b) Consulto diximus intellectam, non arreptam, quos enim modo commemoravimus vera dicendo fallentes, suam in-

quod attinet, observandum est, ab istius sententiae patronis ambigue dictis annumerari, quae nemo sane alius eo referenda esse putaverit. Ea est enim, si quid video, ambigue dictorum natura, ut inter plures explicationes dubius haereat audiens, quamnam admittere debeat nescius, id vero si cui acciderit, aut quaeret rursus aut dubius manebit, non falletur autem. At iis tales enuntiationes ambiguae dicuntur, quarum duplicem esse sensum audientes ne suspicentur quidem, quippe quae hujusmodi astutiae expertibus non nisi unum praebeant, loquentis persuasioni contrarium, sensum, sint igitur revera falsum dicendi exempla *c*). Objiciunt equidem, praeter falsum, quem arripiant audientes, etiam verum quendam in talibus amphibologiis latere sensum, ergo verum dici. At id non possumus iis largiri, loquentis persuasionem istis aequivocationibus inesse; signis enim cogitatorum, ut jam monstratum est, non omnia insunt, quae per ea possunt enuntiari, sed ea demum, quae singulis in casibus revera enun-

---

telligi volunt ab aliis sententiam, non quo eam sed contrariam arripiant, sufficit autem ad verum dicendum, quod verum intelligi volunt.

c) Cfrantur Buddei Institution. theologiae moralis (Lipsiae 1727.) Part. II. c. 3. sect. 5. § 33. not. Puffendorf l. IV. c. 1. § 13.

tiantur. Quodsi largiamur, latere in iis quodam modo loquentis sententiam, velim tamen scire, quaenam sit nova vera dicendi species, per quam efficiatur, ut verum lateat, aut quo jure id enuntiare judicentur homines, quod in dictis ita delitescat, ut a nemine praeter autorem intelligi queat. Hinc igitur apparere puto, falsa dicere, quicunque istius modi utantur amphibologiis *d*). — Restrictionum deinde simili modo ab iis depravatur notio. Restringi enim verba per se πολυσημα ex nexu, quo proferantur, ad certam quandam significationem, nemo est quin videat; ita, quo in quaestione occurrit verbum aliquod sensu, ad eundem plerumque in responsione restringitur *e*). At quae ab iis inducuntur restrictiones, — ubi non commutantur cum reservationibus, de quibus postea, — in eo constant, ut, soluto nexu, sublato omni antea dictorum reique, de qua sermo est, respectu, hanc vel illam, quam alio fortasse nexu aut adjectis quibusdam verbum aliquod habere possit vim

---

d) De aequivocationibus efrantur Abram de mendacio ac veritate l. II. c. 13. § 100 et c. 14. § 115. saep. Antonini Summa Part. II. titul. 10. c. 1. § 1 sub finem. Azor Institution. Moral. Part. III. l. 13. c. 3. pag. 906 sq. Theologia Moralis autore P. Laymann (Monachi 1625. fol. min.) l. IV. tract. 3. c. 13. n. 5.

e) Amesius de conscientia et ejus jure l. V. c. 53. § 29. Forbesii Theolog. Moralis l. IX. c. 10. § 18.

atque significationem, eidem pro lubitu, insciis quibuscum loquaris, adscribas, et ita ambiguum reddas, quod aliter nequeas, dictum *f*). Quando autem ita adhibeatur restrictionum nomen, non magis per eas verum dici, quam per aequivocationes, quarum artificiosiorem quandam constituant speciem, facile intelligetur ex modo dictis. In deliciis est istarum artium patronis vel aequivocationis vel restrictionis exemplum, si quis interrogatus, sitne Titius domi, respondeat non esse, restringens ad comedendi sensum hoc verbum i. e. intelligens, quod sit, ut acute observant, verissimum, non comedere, de cujus praesentia sit interrogatus *g*). Quo nescio an nihil cogitari possit aptius ad monstrandum, non vera sed falsa dicere, qui hac ratione fallant. Ad reservationes autem, quas vocant, mentales vix opus est, ut respiciamus: quis enim bene sanus eum vera dicere concesserit, a quo quae taceantur, vera sint, quae enuntientur, falsa? Ridiculum est autem, quod eum vera tacite adjicere dicunt, quasi vero quaeratur, quid tacite faciat, de cujus sermone agitur *h*). Quae quum

f) Abram et Antoninus l. cit. P. Laymann l. c. n. 7., qui tamen vult, ut aut explicite aut implicite significetur, quae vera debeat esse restrictio.

g) Abram l. II. c. 13. § 100. P. Laymann l. IV. tract. 3. c. 13. n. 11.

h) De reservationibus conferantur Abram, Antoninus, Azorius, Laymannus in locis, qui citantur not *d*).

ita sint, concludimus, ad falsa dicendi artes pertinere omnia ista inventa, non ad vera dicendi rationes. Et de his quidem hactenus.

Sicuti autem explicato, quid sit verum dicere, inde sejungenda esse patet talia artificia, ita, quum hac explicatione non verba per se docuerimus spectari, sed quod per ea indicatum voluerit loquens, neminem fugiet, fieri posse atque adeo fieri haud raro, ut verum dicat, cujus verba proprie intellecta diversissimum eundemque falsum continere videantur sensum *i*). Quae res primum usu venit in apologis, tropis, hyperbolis, ironice dictis, quaecunque demum sunt imaginum involucra, deinde vero in plerisque vitae communis loquendi formulis, quae circa

---

Bene V. Cl. la Placette in libro, qui inscribitur Divers traités sur des matières de conscience (Amst. 1697. 8.) Traité premier du mensonge etc. chap. 10: Il faut remarquer en troisieme lieu, que dire c'est proferer des paroles, qui signifient, qui découvrent, et qui manifestent un sens. Ainsi personne ne proferant des paroles et ne manifestant aucun sens par une pensée interieure, il est clair, que la pensée interieure ne sauroit étre ni un discours, ni une partie du discours.

i) Amesius in Medulla theologica l. II. c. 21. § 19: "Quia vero pronuntiatum non consistit in externis verbis tantum, sed praecipue in eorum sensu; idcirco eadem verba, quae uno sensu vera sunt, alio sensu mendacium fiunt."

observantiam mutuam testandam et sermonis quandam versantur urbanitatem: in utroque enim genere aut majus aut minus aut aliud certe et loquens vult indicare, et intelligit audiens, quam verba proprie sonant. Quas loquendi rationes quod de mendaciorum numero eximere dubitavit autor philosophiae criticae *k*), impense miror; caeteri tantum non omnes inde una voce excludunt; in eo autem paulo negligentiores deprehenduntur plerique *l*), quod falsa dicendi exempla vocant, ad verum enim dicendum sunt, ut jam monstravimus, referendae, ideo autem propriam constituunt classem, quod per ambages verum dicitur, non simpliciter.

Antequam hunc de falsa dicendo locum valere jubeamus, restat, ut non nisi enuntiativa oratione falsum dici lectoribus in memoriam revocemus. Etenim, sicuti non vera dicimus quaerendo, imperando, exclamando, vocando, et quae sunt alia ejusmodi, ita de falso dicendo idem valere debet, ut igitur non falsa dicat, si quem v. c. faciamus vel imperare, quae bene sciat non esse in obedientis potestate, vel socratice *εἰρωνα* ab altero quaerere, quae ipse bene habeat comperta. Quum vero in menda-

k) Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre pag. 87.

l) Melius Abram l. I. c. 15. § 107.

cio sit necessaria falsa dicendi nota, sequitur, nisi sermone enuntiativo non committi mendacium, quo fit, ut, si quis verbi causa non solum quaerat ab aliis, quae sciat (id enim non Socrates solum sed et parentes et praeceptores absque ullo fallendi consilio), sed vel inscitiam quaerendo simulet vel dubitationem atque anxietatem cet., fallat quidem sermone, sed non mentiatur. — Quod quum esse debeat per se clarum, tamen, quoniam a plerisque silentio praetermitti ideoque a multis oblivioni dari intelleximus, nostrum esse duximus, ut accuratiores paucos *m*) secuti disertis verbis traderemus.

§ 5.

Pergimus ad considerandum de remotiore, quem vocavimus, mentientis fine: eum autem in utroque exemplo ideo turpem esse fecimus, ut ne in ipsis disquisitionis nostrae initiis contentio oriretur cum iis, qui ejus turpitudinem

---

m) Nic. Abram l. IV. c. 8. § 59. Forbesii Theolog. Moralis l. IX. c. 6. § 3. Crusius kurzer Begriff der Moraltheologie (Leipz. 1773.) 2ter Theil § 364. p. 1397-99. Cfratur Aristoteles de interpretatione (in Editione Operum cum emendat. Isaaci Casauboni Aureliae Allobrogum 1605 fol.) cap. 4. "Enunciativa autem est non omnis (oratio), sed ea, cui verum vel falsum dicere convenit: non omnibus autem convenit, ut precatio est quidem oratio, sed nec vera nec falsa."

in notione mendacii essentialem esse docent, sed, impetratis veluti induciis, de caeteris prius inter nos conveniret mendacii notis. — Jam vero haec eorum doctrina examinanda; quaerendum, utrum (quod ii statuunt) ad mentiendum requiratur, ut malum consilium fallendo persequamur, necne. Cujus rei judicium quum ita pendeat a duabus aliis quaestionibus rite solvendis, ut, si de iis consenserimus, de hac nostra ne umbra quidem dubii relinquatur; eae vero maximi sint in notione mendacii constituenda non uno respectu momenti: in iis enucleandis paulo copiosius versati, mox ad doctrinam, quam commemoravimus, ponderandam reduces convertemur.

Prior est quaestio, num jure suo recentiores quidam philosophi et, nostrae praesertim ecclesiae, theologi mendacium ita definierint, ut sit ejusmodi falsiloquium, quod vel juri aliorum et speciali cuidam nostrae inde oriundae repugnet obligationi, vel officio legibusque conscientiae in universum sit contrarium *n*): hac enim mul-

n) Puffendorf de Jure Naturae et Gentium l. IV. c. 1. § 8. Thomasius in Institutionibus Jurisprudentiae divinae l. II. c. 8. § 58. 59. Chr. Wolff Institution. Juris Naturae et Gentium § 351. Ejusdem Philos. Moralis § 538. Crusius Anweisung vernünftig zu leben (Leipz. 1751.) § 447. pag. 585. Krug System

taeque his vicinae definiendi rationes eatenus eodem redeunt, quatenus tanquam mendacii nota in iis inducitur turpitudo sive hinc sive illinc oriunda. — Ea est igitur proprie quaestio nostra, utrum turpitudo sit mendacii nota, an sine illa haec notio absolvatur. Speramus autem, fore, ut intelligatur, non id a nobis in disceptationem vocari, utrum turpe sit mendacium necne, qua de re tum demum quaeri poterit, ubi exacta ejus definitio inventa fuerit, in qua eruenda occupamur: neminem etenim diligentius paulo in hanc rem inspicientem latebit, aliud eos dicere, qui doceant, turpem esse vel honestam aliquam agendi rationem, aliud, si quis ad ejus notionem constituendam tanquam necessarium elementum requiri contendat turpitudinem vel honestatem. Injustitiae, ut exemplo utamur, nota est turpitudo, h. e. non tenetur a quoquam plena ejus atque integra notio, nisi qui talem animo concipiat, in qua turpitudo locum obtineat. Hinc fit, ut, si, mutata lege vel nostra potius de lege sententia, quae antea injusta

---

der pract. Philosophie 2ter Th. pag. 301: "Die Lüge ist eine pflichtwidrige falsche Aussage (falsiloquium illicitum)." — Buddei Institut. Theologiae Moralis Part. II. c. 3. sect. 5. § 33. v. Ammon Handbuch der christlichen Sittenlehre (Leipz. 1829.) § 160, ubi mendacium docet esse "eine vorsätzliche u. pflichtwidrige Verläugnung der Wahrheit."

vocaverimus, ea licere intelligamus, non ideo injusta dicamus licere, sed ea negemus aut esse aut fuisse injusta; si quis autem dixerit, quaedam injustitiae exempla honesta esse, is ab omnibus judicetur nescire, quid sit injustitia. — Contra est de suicidio, quod vocant, quo nomine, si quid video, nihil aliud significatur, quam actio hominis mortem sibi consciscentis sine ulla hujus actionis vel comprobatione vel vituperatione: quo fit, ut, quamvis omnibus numeris absolutam ejus teneas notionem, quaerendi tamen de ejus turpitudine relinquatur locus, et, si quis mortem voluntariam honestam esse contenderit, is non ideo ejus notionem ignorare, sed legum ethicarum inscitia labi statuatur. Jam vero haec est doctrina eorum, quorum definitiones attulimus, turpitudinem esse mendacii, quemadmodum injustitiae, notam, in eoque constituendo non minus essentialem, quam sit v. c. fallendi consilium, ut igitur, mendacio nominato, ea quoque sit nominata, si eam sustuleris, nullum sit mendacium *o*).

---

o) Puffendorf l. IV. c. 1. § 9: "Nam quod propter certas circumstantias vituperationem effugit, mendacii nomine haudquidquam est notandum." Chr. Wolff Institut. Juris N. et G. § 352: "Ex adverso autem, cum lex naturae det jus ad ea, sine quibus obligationi nostrae satisfacere non possumus, si vel officio cuidam vel obligationi cuidam contractae satisfacere nequeamus nisi

Quamobrem novam inducunt falsiloquii notionem, cujus ea sit vis, ut, in quascunque inciderint fallacias caeteris omnibus mendacii notis insignes, eae falsiloquia communi nomine vocentur, inter ea rursus quaecunque ipsis turpia visa fuerint, mendacia judicentur. — At huic doctrinae quominus assentiamur, haud pauca impedimento sunt. Primum enim patet, si haec definiendi ratio valere debeat, subtrahi mendaciorum nomen sermonibus hominum vitaeque communi, unde tamen oriundum esse monstravimus. Etenim quis est indoctus, qui in tanta doctorum virorum dissensione circa singula falsiloquia vel excusanda vel improbanda id sibi sumat, ut, quaenam eorum turpia sint, constituere, eaque imposito mendacii nomine distinguere audeat? Quis porro alios intelliget mendacia commemorantes, nisi quibuscum ei antea convenerit de honestate vel turpitudine singulorum falsiloquiorum? Deinde vero, si quam autoritatem tribuendam censemus testimonio usus loquendi per omnia sibi constantis secula, rejicienda erit, quam inducunt, mendacii definitio. Etenim concedere cogimur, tantum abesse, ut, nominato mendacio, turpitudinem

---

animi nostri sensa celando vel moraliter falsum loquendo, utrumque licitum, atque tum falsiloquium mendacium non est."

quoque nominatam esse putaverint homines, ut nulla sit in vita communi, nulla inter eos, qui disciplinam morum sibi sumserunt tractandam, saepius agitata quaestio, quam illa de turpitudine mendacii. Quis est autem, qui sibi persuaderi patiatur, in eo totos fuisse omnium fere temporum acutissimos viros, in eo summa contentione desudasse, ut, liceantne, quae ipso nomine sint turpia, contingeret intelligere? — Credat fortasse aliquis, in eo latuisse eorum, qui mendacia quaedam excusanda susceperunt errorem, quod non intelligerent, turpitudinem esse mendacii notam, veriora autem circa hanc rem vidisse, qui omnia mendacia improbarunt. Verum obest, quod ne hi quidem inter notas mendacii turpitudinem statuerunt esse referendam, si enim retulissent, in definitionibus suis commemorassent, quod ante haec recentiora tempora nunquam est, quantum nobis quidem constat, factum: ita e contrario adversus mendaciorum defensores argumentantur, ut, quamvis difficilem atque tortuosam esse concedant de turpitudine eorum quaestionem *p*),

---

p) Augustinus de mendacio c. 1, contra mendacium c. 16. Pictet la morale chrétienne tome V. livre VI. ch. 13. pag. 264: C'est une grande question de sçavoir, s'il n'est jamais permis de mentir pour rendre quelque service à ses freres, pour les délivrer de quelque danger, ou pour leur procurer quelque grand bien, ou

tamen ex legibus ethicis rite explicatis omnia mendacia illicita esse doceant, quacunque demum commendentur honestatis specie. "At, inquiunt, isti omnes de falsiloquiis disputarunt, non de mendaciis, circa ea improbanda summa est concordia." *q*) Audio! Verum si ipsos consulo, alii mendaciorum quorundam disertis verbis se ostendunt vel addubitare vel negare turpitudinem *r*), alii eandem argumentis

---

pour se garantir soy même de quelque peril eminent, et si les mensonges qu'on appelle officieux sont des péchez? — Brüggemann Commentatio de mendacio necessitate extorto etc. (Gottingae 1797. quarto) pag. 4.

q) Mosheim Sittenlehre der heiligen Schrift 7 Th. § 26. pag. 420: "Ich sage mit Bedacht Unwahrheiten. Denn es ist nie, soweit uns die Geschichte der Philosophie u. der christlichen Sittenlehre führet, darüber gestritten worden oder eine Uneinigkeit entstanden, ob man ohne Verletzung seines Gewissens lügen könne cet.

r) Celeberrimos paucos cum antiquitatis tum recentiorum temporum viros nominasse sufficiet: Cfratur igitur Plato de republica pag. 266. (Edition. Bipontinae) τοις ἀρχουσι δη της πολεως — — προσηκει ψευδεσθαι cet. Quintilianus de institutione oratoria (ed. Burmann Lugd. Bat. 1720.) libr. XII. cap. 1. "Concedant mihi omnes oportet, quod Stoicorum quoque asperrimi confitentur, facturum aliquando bonum virum, ut mendacium dicat — — —, ut hoc, quod alias in servis quoque reprehendendum est, sit alias in ipso sapiente laudandum." Clemens Alexandrinus, qui sapientem, quem inducit, mendacio uti facit, tali nimirum, quod aliis sit salutare, Stromat. VII. pag. 863. (ed. Potter

hinc illinc petitis monstrare aggrediuntur, quibus omnibus, si mendacii nota est turpitudo, nihil profecto cogitari potest insanius. — "Imo perperam, subjiciunt, interpretaris sententiam nostram; scimus equidem de mendacio, si verba placet urgeri, disputatum esse, sed tum hoc nomen eodem sensu, quo falsiloquium adhibitum est, sin mendacium ex nostra intelligitur definitione, de ejus turpitudine nemo unquam dubitavit." *s*) — Intelligo. Quid autem hinc sequitur aliud, quam vobis placuisse, mutatis verborum significationibus, tales movere turbas, ut inde vix ipsi emergatis? Quodsi, quae aliis mendacia, ea vobis falsiloquia sunt, in vado igitur sumus, quippe qui antiquitatem secuturi simus, universalitatem, consensum, non impotentem privatorum quorundam licentiam. Quare, si tanti est vobis notio illa falsiloquii constitu-

---

Oxon. 1715). Chrysostomus de poenitentia Homilia VII. (in Edit. Operum curante Montfaucon) pag. 335: Ω καλου ψευδους cet. J. Crellius in Ethica christiana (Cosmopoli 1681.) l. IV. pag. 518: "Vulgo autem notum est, alia mendacia certis in casibus licita censeri, quae etiam mendacia honesta seu officiosa solent appellari, de quibus in Ethicis, alia vitiosa prorsus cet.

s) Huc redeunt, quae habet Buddeus Institut. theol. moral. Part. II. c. 3. sect. 5. § 33 not.: "Omne igitur mendacium, si vocem ita capias, ut eam hic accipimus, involvit vitium" cet.

veritate destitutam, notionis imaginem potius, quam notionem. Quod tantum abest, ut intellexerint, qui turpitudinem mendacii faciunt notam, ut in exponendis circa veracitatem officiis alii ne vèrbo quidem indicent, unde sciant, licita non omnino deesse falsiloquia, alii inde demonstrare aggressi sint, quaedam falsiloquia licere, quod per turpitudinis notam sint ab iis mendacia — ex ipsorum nimirum definitione — distinguenda *t*), quasi vero illa definitio non debeat aut ea re niti, quod honesta non minus quam turpia inveniantur falsiloquia, aut omnino vana judicari. — Sicuti autem ridiculum videtur praeparatas habere falsiloquiorum divisiones et singularum classium definitiones, priusquam constet, num istae classes occurrant in rerum natura, inutilis igitur atque supervacanea ista falsiloquii illiciti, si in designatione logica subsistitur, notio: ita, si realis, ut loquuntur philosophi, judicata fuerit, nulli alii rei utilis erit,

---

t) Puffendorf l. IV. c. 1. § 9: "Genuino veritatis ac mendacii fundamento reperto (hujus in turpitudine ex violatione juris aliorum § 8), patet, falli eos, qui credunt mendacium et falsiloquium coincidere, et semper mentiri, qui aliquid dicit a sententia animi sui discrepans, adeoque, qui in sua natura turpe autumant aliud dicere, quam sentias" cet. Thomasii Institut. Jurisprud. divinae l. II. c. 8. § 58-61. Buddei Institution. Theologiae Moralis Part. II. c. 3. sect. 5. § 33 et not.

tive (ut barbare loquamur) illiciti, novo vocabulo eam insigniatis velim, nobis integrum esse sinatis, ut, quod semper mendacium fuerit appellatum, id hodie quoque ita nuncupetur. — Haec sufficiant de arbitrario vocis mendacii inter istius doctrinae autores usu sive potius abusu; veniamus ad ipsam, quam inducunt, falsiloquii illiciti notionem. In ea autem constituenda tanquam concessum sumi apparet, esse quaedam falsiloquia licita atque honesta, si enim omnia turpia essent, non foret in definitione turpitudinis nota adjicienda. Id autem quo jure sumatur, difficile est intellectu. Etenim, quas commemoravimus de mendaciorum turpitudine lites, eae, si ad istum loquendi usum referuntur, sunt lites eorum, qui omnia falsiloquia damnant, cum iis, qui nonnulla licita esse statuunt. Jam vero a patronis istius, de qua sermo est, definiendi rationis, nihil est allatum novi, quo hanc tandem componerent dissensionem, et ita componerent, ut, quae ipsi falsiloquia, alii mortales mendacia vocant, eorum quaedam honesta esse ostenderent. Quae quum ita sint, sequitur, non alio pertinere istas falsiloquii liciti atque illiciti notiones, quam ut, si inventa fuerint utriusque conditionis exempla, designatio quaedam logica (ein logisches Schema) in promptu sit, cui eas inserere liceat, sin minus, vacuam alterutram habeamus,

quam ut falsae, quam modo commemoravimus, conclusioni locum praebeat; utroque igitur respectu rejicienda. Neque vero ad eam commendandam valere debet, quod ad expediendas in loco de veracitate ac mendacio difficultates viam muniat commodiorem; primum enim non id agitur, ut dissecetur nodus, verum ut solvatur, non ut removeantur tantum difficultates, verum ut expediantur; deinde ne ad removendas quidem sufficit haec notio: quid enim ad rem, quod ea admissa nulla amplius lis futura sit, liceatne mentiri necne, quum nova oriatur quaestio, num falsiloquio unquam uti liceat, quod negabunt iidem omnes, qui hucusque de mendacio negarunt?

Caeterum, unde sit factum, ut hanc nominis notionisque depravationem inducerent atque tuerentur haud pauci ingenio atque eruditione egregii viri, non est difficile intellectu. Quum enim in Sacra Scriptura omnia omnino improbata invenire sibi viderentur mendacia, ipsis tamen persuasissimum esset, nonnullas eorum classes licitas esse, hujus diversitatis fundamentum in diverso vocis sensu latere arbitrati sunt, eamque posse mendacio rite definiendo removeri. Unde istae ortae definiendi rationes, quibus de verbis Sacrae Scripturae concederent, reapse suam tuerentur sententiam. Est autem operae

pretium animadvertisse, quanam ratione praeparata fuerit haec doctrina animisque hominum insinuata. Antecedunt quippe timidiores quorundam conatus, qui mendacii latiorem atque strictiorem commemorant significationem, et "proprie" id tantum mendacium esse docent, quod perniciosum vocabant antiqui, jocosum contra multoque magis officiosum parum proprie, neque nisi per analogiam quandam, eodem nomine insigniri volunt *u*). At haec historicis erunt relinquenda.

---

u) Ita ipse Lutherus in explicatione Geneseos (ed. Walch tom. prim.) ad cap. 12. § 191: Darum wird sie (mendacium officiosum) eine Lüge unrecht genannt, dieweil sie vielmehr eine Tugend und Klugheit ist, damit beyde des Teufels Grimm verhindert und eines andern Ehre, Leben u. Nutzen gedienet wird. — § 192: Eigentlich aber heisset dis eine Lügen, wenn unser Nächster ihm zum Schaden u. Verderben und uns zum Nutzen von uns betrogen wird. Melanchthon in Catechesi puerili (Oper. Witeberg. 1562. Part. I.) fol. 21: „ubi vero manifestatio spontanea peccatum esset, ibi concessae sunt figurae, quae tegunt negotia, — tunc enim figurae illae non sunt proprie mendacia. Nam mendacium proprie est depravatio ejus, quod dici debet." M. Chemnitius in Locis theolog. (Witeberg. 1615 fol.) Part. II. pag. 93. Universae Theologiae Systema autore C. E. Brochmann (Ulmae 1664.) De Lege c. 15. sect. 2. qu. 1: "Verum rotunda nostrorum theologorum responsio est: quod veluti mendacium jocosum et officiosum proprie non est mendacium, ita nec rebus vere malis accenseri debeat." Joh. Conr. Dürr Compend. Theologiae Mo-

Nobis ad posteriorem erit transeundum quaestionem, utrum sit mendacii veluti elementum finis remotior, ejus igitur certa quaedam affectio ad mentiendum requiratur, an de eo, nominato mendacio, nondum quicquam sit enuntiatum, mendacii igitur plenam habere possimus atque integram notionem, etiamsi, quinam sit aut qualis hic finis, omnino ignoremus. — Licet autem haud raro jungantur ab hominibus in constituenda vel honestate vel turpitudine plures actiones, quae suam habeant quaeque ad leges conscientiae relationem, ideoque sigillatim forent spectandae *v*), licet mendacium praesertim admodum frequenter in unum veluti corpus conglutinetur cum fine remotiore mentientis: speramus tamen fore, ut, ubi primum huc conversa fuerit per quaestionem propositam lectorum attentio, ab omnibus intelligatur, non esse magis mendacii elementum finem illum remotiorem, quam sit v. c. vera loquendi *w*). Quod

---

ralis (Altdorf 1675) cap. 19. § 10. Grotius de Jure Belli ac Pacis l. III. c. 1. § 11.

(*v* Schleiermacher Grundlinien einer Kritik d. bisherigen Sittenlehre pag. 105. 106.

w) De Wette christliche Sittenlehre 3r Theil. § 454. pag. 126: Um ein unbefangenes Urtheil über die Wahrhaftigkeit und deren Gegentheil zu haben, muss man alle guten und bösen Absichten, die sich damit zu verbinden pflegen, die Absichten den Menschen ihr Recht zu

si quis concedere noluerit, quaeram ab eo, nonne, si quem, rei alicujus bene gnarum, aliis alia circa eam commenta tradentem deprehenderit, eum, quamvis nesciat, hoc an illo, bonone an malo id faciat consilio, mentiri dicturus sit. Id ubi largitus fuerit, monebo, id non esse mendacii elementum, de quo quamvis nescias, scias tamen commissum esse mendacium. Concludimus igitur, non esse aliam mendacii, quam caeterarum externarum actionum conditionem, eam nimirum, ut media sint ac veluti instrumenta; medio autem nominato, nihil esse indicatum de ultimo ejus, qui agat, fine, nemo est quin videat, poteris enim et male factis ad honestum tendere finem, et mediis per se licitis ad turpem finem abuti; unde sequitur, nisi cuncta turbare velimus, de utrisque sigillatim esse agendum, deprecandas autem in constituenda mendacii notione disputationes de iis, quae per mendacia vel effecerint homines vel possint efficere.

His solutis quaestionibus, soluta est, quam initio hujus paragraphi proposuimus. Quum enim neque mendacii elementum sit finis remotior, quod sumant necesse est, qui ejus turpitudinem requiri docent ad mendacium consti-

---

geben, ihnen Achtung und Liebe zu beweisen, oder ihnen zu schaden, sie zu betrügen oder zu verspotten davon trennen.

tuendum, neque mendacium ipso nomine turpe sit, quale tamen esse debet, si illorum vera est sententia, patet, falli, quicunque ejus notam faciant turpitudinem finis remotioris *x*).

Reliqua est singularis quaedam mendacii definitio, quae si unius tantum viri commendatur autoritate, at illius tamen maximi deque morum disciplina meritissimi, **Reinhardi**, qui docet, mendacium esse falsiloquium, quod possit nocere aliis *y*). Quod quomodo intellectum velit, fateor me non satis perspicere: hoc tamen manifestum esse arbitror, si strictius interpretati fuerimus istud posse, nullum inventum iri falsiloquium, quod non sit mendacium, quippe quum nullum fingi queat, quod nemini damnosum futurum esse pro certo asserere liceat;

---

x) Tuentur hanc sententiam (praeter multos, qui turpitudinem mendacii faciunt notam, eam in fine remotiore latere statuunt, qui sunt in notis antecedentibus commemorati) Siegm. Jac. Baumgarten Ausführlicher Vortrag der theologischen Moral (Halle 1767.) § 143. pag. 817: Lügen ist vorsetzliche Erweckung unrichtiger Vorstellungen dem Andern zu schaden etc. v. Ammon religiöse Moral (4te Auflage 1806.) § 230, qui mendacium vocat "eine Erdichtung, die dem Andern aus böser Absicht als Wahrheit dargeboten wird." Contra Kant met. Anfangsgründe der Tugendlehre pag. 84. 85.

y) System der chr. Moral (4te Aufl. 1802 sq.) § 144: Die Lüge — — ist eine mit Worten ausgedrückte Erklärung, die etwas anders enthält, als was wir selbst für wahr halten, u. die andern nachtheilig werden kann.

sin definitionem illam de ejusmodi intellexerimus falsiloquiis, quae perniciosa esse futura aut autor praeviderit aut alii homines, fore, ut novae oriantur, neque eae leviores, difficultates. Admissa etenim priore explicatione, sequitur, neminem mendacii convinci posse, debet quippe, quid quisque praeviderit, alios omnes latere; quodsi posteriorem admiseris, concedendum erit, posse fieri, ut, qui mentiatur, idem se mentiri nesciat: quorum utrumque est manifesto falsum. Quae quum ita sint, non possumus, quin sine idonea ratione adjici statuamus in mendacio definiendo illam conditionem, ut possit nocere, eliminandam, si veram amplecti velimus atque exponere mendacii notionem.

§ 6.

Absolutis quaestionibus de singulis mendacii notis, restat, ut, qualis inde exire debeat ipsius notionis definitio, paucis ostendamus. Est igitur mendacium s i g n i f i c a t i o s u b j e c t i v e f a l s a (§ 4) s e r m o n e f a c t a (§ 3) c u m i n t e n t i o n e f a l l e n d i (§ 2) vel, ut idem brevius dicamus, a s s e r t i o s u b j e c t i v e f a l s a, — assertionis quippe ea est natura, ut et in sermone versetur necesse sit, et quicquid asseramus, idem aliis persuaderi velimus (§ 2 pag. 15.). — Ad hanc autem definitionem aut explicandam aut ab objectionibus vindicandam nihil opus esse

statuimus ut adjiciamus, quoniam, et quo sensu singula ejus membra sint intelligenda, et quonam jure has necessarias esse contendamus ad mendacium constituendum notas, alias non requiri, sit in antecedentibus pluribus expositum, de quibus qui nobis consenserit, non poterit, quin definitioni quoque suffragetur.

Illud unum liceat veluti in appendice monuisse, si ad hanc definitionem revocare placuerit, quas supra commemoravimus, de quibusdam fallaciis aut adscribendis mendaciorum numero aut inde eximendis doctorum virorum lites, fore, ut intelligatur, nihil esse aut in honestate finis remotioris, aut in eorum, quae tradantur, ad plenam veritatem praeparandam utilitate *z*), aut in artificioso fallendi modo *zz*) rationis, cur, si cetera rite concurrant, ejusmodi fallaciae mendacia esse negentur. Verum haec hactenus; quaenam enim fallaciarum genera sint ex definitione nostra mendacia, facili opera intelliget quisque; nobis de notione mendacii certis jam transire licebit ad solvendam de mendacio ethice aestimando quaestionem.

z) Esse, qui has ob causas mendaciis adscribi nolint fallacias quasdam, quae vulgo hoc nomine insigniantur, monstravimus § 1 exeunte.

zz) Haec etenim propria est ratio, cur ambigue dicta, restrictiones item atque reservationes mentales e numero mendaciorum eximenda esse doceantur, cfr. § 4. pag. 27-32.

CAPUT II.

DE MENDACIO ETHICE AESTIMANDO.

§ 7.

Ad hunc locum transiturus: „illud unum, inquit Abram *a*), venit in quaestionem, ecquid mendacium ex sua ipsius natura sit in malis ac vitiis numerandum, an secundum se sit indifferens ac των μεσων, id est, in virtutis ac vitii confinio constitutum, ut perinde sit, ut est ani-

---

a) De mendacio ac veritate l. I. c. 7. § 40. — Caeterum plures eorum, qui omnia mendacia turpia esse docuerunt, ad hanc quaestionem universam litem conati sunt revocare, ita v. c. la Placette Traité du mensonge etc. chap. 2: Pour le faire voir en un mot et sans entrer dans un trop grand détail, je n'ai qu'à demander à tous ces auteurs, si le mensonge consideré en lui même et separé en effet ou par la pensée de tous les autres pechés, qui peuvent l'accompagner, de l'injustice, de la malignité, du parjure etc., et n'emportant en un mot qu'une simple opposition de ce, qu'on dit, à ce, qu'on pense, est une action indifferente, ou une action mauvaise. Si c'est une action mauvaise, il est evident et incontestable, qu'il n'y a point de circonstance, qui puisse le rendre innocent.

mus illius, qui mendacium usurpat: qui utitur bene, sit ei bonum, illi, qui non utitur bene, malum." Cujus sententiam, dummodo nobis liceat accuratius constituere, quid indifferens intellexerit, certe debuerit intelligere, nostram facere non dubitamus. Noluisse eum quidem hanc propositionem explicatam ex illa indifferentis significatione, secundum quam hoc nomine ea insigniuntur, quae non sunt in arbitrio hominum posita, verum necessitatis alicujus physicae legibus devincta, clarum est ex orationis contextu; ex eodem porro patet, genuinam ejus sententiam non melius iri perspectum, si quis indifferentes ab eo vocari putaverit tales actiones, quae, quamquam in arbitrio humano sint positae, adeo parvi tamen, imo nullius plane momenti esse videantur, ut regulis ethicis ob levitatem subjici nequeant. Est vero etiam manifestum, neutro sensu aut esse quaesitum aut posse unquam quaeri, utrum indifferens sit mendacium necne, quippe quod et ex ipsa notione sua spontaneam arguat mentis efficaciam, et a defensoribus non minus quam ab iis, qui omnia ejus exempla turpia judicant, praeceptis subjiciatur ethicis. A b r a m u s autem indifferentes, si quid video, ejusmodi nuncupat agendi rationes, quarum singula exempla pro diversis hominum, loci, temporis rationibus partim turpia sint partim honesta, de quibus igitur universim

spectatis hanc ipsam ob causam neutrum liceat praedicare. Quas ego quidem, quoniam nomen indifferentis ambiguitate quadam laborat nulla facile definitione radicitus tollenda, ethice indefinitas maluerim vocare; hujus autem verbi notionem ita accuratius constituerim. Ethice indefinita dicitur actio, de cujus vel honestate vel turpitudine ex ejus notione absolute atque per se considerata universale non liceat ferre judicium, quoniam haec notio nihil contineat, cur aut adversetur legibus ethicis, aut ita cum eis consentiat, ut contrariam agendi rationem iisdem adversari necesse sit statuamus; cui tamen actioni non desit ethicum momentum, sed ita insit, ut ex accedentibus demum quibusdam, non cum ipsa notione simul positis, quae igitur in singulis ejus exemplis diversa esse possint (v. c. ex jure eorum, quibuscum res sit nobis, ex obligatione perfecta, cui hoc unico modo satisfieri queat), pendeat atque intelligatur. Exemplo erit notio pugnandi, quam nemo non largietur esse ejusmodi, ut, quae ei subest agendi ratio, per se spectata nequeat aut comprobari aut vituperari, cujus tamen singula exempla tantum abest ut nullius sint ethici momenti, ut non possimus, quin eorum v. c. turpissimam judicemus pugnam, qui juri vim opponere aggrediantur, eam contra honestam, quae injuriae impediendae inserviat innocentique

tuendo. Quibus constitutis, sententiam Abrami supra expositam ita nostram facimus, ut celeberrimas illas de singulis mendaciis ethice aestimandis lites et universam doctorum virorum in hoc loco dissensionem ad hanc unam quaestionem revocari posse contendamus, utrum turpe sit mendacium per se spectatum, an ethice indefinitum. — "At vero, dicat aliquis, longe aliud esse debet, quod locum praebuit disputationibus inter eos, qui omnia damnant, et qui nonnulla comprobant mendacia; inter tot enim eorum patronos vix unum aut alterum invenies, qui disertis verbis mendacium aut indifferens aut ethice indefinitum esse docuerit, paucos, qui idem turpe esse, si per se spectetur, negaverint *b*); ut igitur id potius quaeri videatur,

---

b) Praeter eos, qui citantur §5 not. r., cfr. Cunrad Dieterici in institutionibus catecheticis (Lipsiae, sine anno, cum notis Christ. Chemnitii) ad praeceptum octavum pag. 168: "Annon etiam omne omnino mendacium prohibitum? Non, aliud enim est mendacium illicitum, aliud licitum: illud omnino prohibitum, hoc quandoque concessum est." Barbeyrac in notis ad opus Pufendorfii (Droit de la nature et des gens. Amsterd. 1706.) l. IV. ch. 1. §7. not. 1: Ce que je viens de dire, est fondé sur les principes de Mr. Titius, qui dit en propres termes, qu'il faut défendre ouvertement, hardiment et constamment cette opinion, et ne point s'arrêter aux préjugez communs, mais destituez de fondement, qui veulent, qu'il soit toûjours criminel et illicite de parler contre sa pensée: erreur, qui, comme plusieurs au-

possitne, quamvis turpe sit mendacium, accidere, ubi officii nostri sit, ut mentiamur." Respondeo, quod hanc quaestionem neglexerunt alii eorum, qui nonnulla mendacia honesta judicant, alii cane pejus et angue vitandam omnique modo a se removendam putarunt, id non impedire, quominus ad eam revertamur, si intellexerimus, et rei naturam id ferre, et illorum irritos fuisse labores. Id autem ut intelligatur, opus erit monstremus, quibusnam aliis rationibus, quaestionem nostram eludentes, doctrinam de mendacio ethice aestimando ita absolvere conati sint, ut et nonnulla mendacia honesta esse docerent, et mendacium tamen negarent esse ethice indefinitum. Primum locum tenent eorum, quos jam supra commemoravimus *c*), definiendi rationes, ex quibus falsiloquium genus constituat, cujus altera species honesta sit aut licita, altera turpis. Est vero ibi etiam monstratum, hoc modo non nisi nomine ac specie vitari quaestionem nostram, quippe quum eorum falsiloquium aliorum sit mendacium, ejus autem in duas species, licitam atque illicitam, dividendi institutum labare debeat, donec constet, ipsum genus esse ethice indefinitum,

---

tres, vient de ce, qu'on philosophe sur la Moralité des Actions Humaines sans une régle sûre et invariable.

c) Cfratur § 5.

exempla igitur complecti cum turpia tum vero honesta, corruere autem, si genus per se spectatum turpe judicetur. — Sequitur eorum doctrina, qui, ne indefinitam esse faterentur mendacii notionem, cujus tamen alia honesta alia turpia judicarent exempla, eo sibi confugiendum esse putarunt, ut et turpe esse docerent atque manere mendacium, et nonnunquam tamen bono viro esse mentiendum assererent, sibi igitur persuaderent, eandem agendi rationem et turpem esse et nonnunquam simul honestam *d*). Quorum doctrinam, quo

---

d) System der Moralphilosophie von Eschenmayer (1818) § 188: Ein Verbrechen zu verhüten ist eine Nothlüge erlaubt. — — Aber, wird man einwenden, kann das, was an sich als ein Laster erkannt ist, jemals ein Mittel zu einem guten Zweck werden? Ja! Insofern das Begehen eines Lasters ein Verbrechen verhütet. Wenn gleich die Nothlüge an sich ein Laster ist, so kann sie doch relativ Gutes wirken, insofern sie das intensivere Böse im Verbrechen verhindert. Aliter Anonymus (Phil. Naudaeus?) in Bibliotheca Bremensi class. prim. fasc. quarto (ed. Amstelod. 1724), qui et ipse objectivam statuit esse praecepti de non mentiendo cum aliis praeceptis collisionem: il arrive des cas aujourd'hui, où un homme est forcé indispensablement d'agir et entre deux pechez, l'un ou l'autre inevitable, de choisir le moindre par consequent — — cependant en choisissant le moindre entre deux pechez, il ne fait pas une bonne action, c'est toûjours un peché, qu'il commet, mais qui est moindre que celui, qu'il

accuratius considerem, eo minus me fateor perspicere. Manifestum enim esse debet, quicquid per se turpe dicatur, non nisi ideo tale judicari, quia ex notione sua certae cuidam ethicae legi intelligatur adversari, quod si jam alia lege juberi docetur, scire volo, quanam tandem ratione ea res cum recta sanaque de officio conscientiaeque legibus persuasione possit conciliari. Quare, qui hanc amplexi fuerint doctrinam, iis nihil aliud reliquum erit, quam ut leges ethicas non specie sed revera secum pugnare statuant: id autem quis est, qui, non dico sibi persuaderi patiatur, verum audire sustineat? Ab eodem errore prope abesse videntur, qui, proposita mendacii definitione ejusque turpitudine monstrata, inde ad singulorum mendaciorum moralitatem, quam vocant, transeunt examinandam, eorumque nonnulla honesta esse docent *e*), quasi vero non sint cum genere simul omnes

---

rejette, et cela même est nostre supposition. C'est pourquoi on ne peut pas dire même en ce cas, qu'il soit legitimement obligé à pécher, il y est porté, mais il n'y est pas obligé legitimement (pag. 415.).

e) Cfrantur Crusius Anweisung vernünftig zu leben § 447, ubi in ipsa definitione mendacii (pag. 585.) ponit violationem officii veracitatis, infra autem (pag. 586.) rariores quosdam casus inducit, ubi sit mentiendum: da man von der Pflicht der Wahrhaftigkeit ohne Verletzung des natürlichen Rechtes abweichen dürfe. De Wette chr. Sittenlehre 3r Theil § 448. pag. 104. 105. et § 454.

ejus species singulaque individua turpia judicata. Tamen, quum nemo sit istius erroris insimulandus, nisi qui verbis haudquaquam ambiguis eum fuerit professus, omnium vero minime tantae autoritatis viri, quantae sunt, quorum hîc commemoravimus docendi rationem: vero similius videtur, eos negligentius paulo sententiam suam exposuisse, revera tamen ad sequentem pertinere classem. — Haec tertia classis eorum est, qui docent, mendacium esse „ut plurimum" turpe, „plerumque" amori, quem Deo hominibusque debeamus, adversari *f*). Quorum doctrina haud aegre eodem redire intelligitur, ac si mendacium disertis verbis ethice indefinitum esse concedant; saepius enim turpe sit quam honestum, an vice versa, nihil ad rem nostram, quippe qui ita concludamus, si mendacium nonnunquam honeste committatur, nonnunquam

---

f) Cfratur Saurin Nebenabhandlung von den Lügen § 18: Der Unterschied, ob ein Ding an sich selbst gleichgültig oder an sich selbst strafbar sey, ist sehr unvollkommen — — es giebt aber auch solche (Handlungen), die ut plurimum meistentheils böse sind, deren Natur aber in einigen wenigen Umständen geändert werden kann. — — Nun sagt man weiter, dass die Lügen mit zur dritten Abtheilung gehöreten, dergestalt, dass das Lügen ut plurimum meistentheils sündlich sey, und nur sehr wenige Fälle ausgenommen wären. Mosheims Sittenlehre 7r Theil § 26. pag. 442. Reinhards System der Moral § 296.

turpiter, ergo neutrum de eo per se spectato praedicari, hoc est, notionem mentiendi esse ethice indefinitam. — Sunt vero etiam quarto loco, qui, quae ex ipsorum definitione forent mendacia, eorum quaedam talia esse negaverint nullam aliam, si quid video, ob causam, quam quo et mendacium satis graviter improbare possent, neque tamen, quas inducerent exceptiones, eas justo nomine appellantes, ipsi sibi viderentur contradicere *g*). — His fere modis, qui nonnulla mendacia honesta judicarunt, ista duo conciliare conati sunt, notionem esse per se turpem, singula vero exempla licita esse atque honesta: frustra autem id conatos esse, nemo est, quin videat. Aut enim (quod in singulis recensendis atque examinandis monstravimus) eo errore implicantur, ut quaedam turpia simul honesta esse contendant, aut, quae indefinita vocanda foret notio, eam per se turpem vocare deprehenduntur. Apparet vero id quoque, ad quaestionem a nobis propositam litem de mendaciis ethice aestimandis esse revocandam: etenim, si mendacium turpe esse intellexerimus, vanae erunt, ne dicam absurdae, omnes de singulis mendaciis inde excipiendis quaestiones, sin ethice indefinitum, tum vero

---

g) Vogel Lehrbuch der chr. Moral (Nürnberg u. Altdorf 1803.) § 196. cfr. § 198.

non poterit tantum, verum debebit necessario quaeri de singulis mentiendi exemplis ethice aestimandis, aliis comprobandis, aliis vituperandis. — Restat, ut moneamus, quod in ipsis disquisitionis initiis vindicandam putaverimus hanc sive Abrami sive nostram de ethica mendacii aestimatione quaerendi formulam, ideo esse factum, ne quis forte speret, fore, ut primum de mendacio deinde de mendaciis necessitate extortis agamus, ut allatis primum, cur mendacium turpe sit, rationibus, dein eruere instituamus, nonne tamen haec vel illa honesta sint ejus, quam modo damnaverimus, notionis exempla, nonne tamen has vel illas patiantur leges, quibus prohibeatur, exceptiones; sciat vero, utrumque a nobis (sicuti fert rei ipsius natura) ita jungi, ut, dum leges circumspiciamus, quibus prohibeatur mendacium, hinc exclusuri simus, quaecunque regulae vel non nisi quibusdam adversentur mendaciis vel exceptiones patiantur, hoc est, parum accuratae sint ejus, quam cordibus mortalium numen inscripsit, legis enuntiationes, et, si nullae inventae fuerint aliae, ipsam notionem ethice indefinitam judicaturi, de singulis igitur ejus exemplis sigillatim acturi, sin deprehensum fuerit, cui ipsa notio repugnet, praeceptum, inde conclusuri, turpia esse, ne uno quidem excepto, quaecunque demum cogitari queant ejus notio-

nis exempla. — Quare, si posterius usu venerit, parum solliciti erimus de solvendis artificiosis istis officiorum collisionibus, quibus praecipue confidere videntur mendaciorum patroni, quippe qui jure nostro postulare nobis videamur, ut, qui honesta inducat mendacia, ante omnia refellat ea, quibus ipsam notionem turpem esse monstratum sit, argumenta: id nî fecerit, poterit aliquis his ipsis collisionibus adversus eum uti, et, quemadmodum ille v. c. licere mendacium docet, quoniam alias vita hominis foret periculo objicienda, ita ex eodem exemplo concludere, esse aliquando vitam aliorum periculo objiciendam, quia alias foret mentiendum. Haec hactenus. —

Circumspecturos nos esse diximus, quibus mendacium prohibeatur, leges ethicas, neque enim quemquam fugere putamus, quum per se honestum esse mendacium nemo unquam contra consensum omnium, non dico bonorum, sed bene sanorum ausus sit asserere *h*), notio autem indefiniti secum ferat, ut nullae sint, qui-

h) Non omnino praetereundum esse duximus hunc casum, ne quis objiciat, mancam esse propositionem nostram, mendacium aut turpe esse aut ethice indefinitum; proprie enim ita sonat: mendacium per se spectatum est aut honestum (ut igitur contraria agendi ratio sit per se turpis), aut turpe, aut ethice indefinitum; quo trilemmate absolvuntur omnes, qui cogitari possunt, casus

bus talis reddatur actio aliqua, ethicae regulae, hanc unam nobis patere ad solvendam quaestionem nostram viam, ut videamus, num quid aut allatum sit aut afferri queat, cur turpis sit mentiendi notio, quod si secus inveniatur, eam hoc ipso intelligi esse ethice indefinitam. — In exponendis autem atque examinandis, quaecunque sunt ab aliis adversus mendacium allata, simul in nostra qualicunque circa hanc rem sententia tradenda eum cursum in animo est tenere, ut primum de fallendo videamus, ecquid vel ab aliis petere vel ipsi invenire possimus, cur legibus conscientiae necessario repugnet, deinde vero — sive per se turpe deprehensum fuerit simulandi atque dissimulandi artificium, sive ethice indefinitum — ad eam quaestionem convertamur considerandam, numqua lateat in ceteris mendacii notis ratio, cur de ejus vel honestate vel turpitudine aliud sit judicium ferendum, quam de fallendo in universum. Sicuti enim, si indefinita inventa fuerit fallendi notio, fieri tamen poterit, ut hujus generis species aliqua per se turpis esse intelligatur, ita, si fallendo violari statuerimus officium, igitur et mentiendo, esse tamen de hoc speciatim agendum manifestum est, ne forte eo tantum respectu improbandum esse nobis persuadeamus, quod fallendi sit species, quum tamen ob alia etiam sibi propria propria fortasse prematur turpitudine.

§ 8.

A fallaciis igitur fiat initium. In quibus ethice aestimandis quum minus accurate neque, sicuti de mendacio factum est, data opera versati sint ethicorum scriptores, nemo mirari debebit, et ejusmodi afferri a nobis hoc loco argumenta, quae ab autoribus suis adversus mendacium tantum proposita videantur, quae autem ex natura sua ad mendacium nonnisi eatenus pertineant, quatenus fallendi sit species, aut igitur de fallendo in universum valere debeant aut ne de mentiendo quidem, — et, si quae sint adversus fallendum allata, quae de mendacio tantum valeant, ea tum hîc eatenus dijudicari, ut, cur minus sint ad monstrandam turpitudinem fallendi apta, ostendatur, tum in sequentibus, quatenus ad mentiendi turpitudinem monstrandam sint efficaciora, tractari.

Ut vero ab infirmioribus ordiamur, verbo quidem commemorasse sufficiet eorum argumenta vel umbras potius argumentorum, qui aut per tautologiam quandam ideo damnatum volunt universum fallendi genus, quod veritate privetur, qui fallatur *i*); id quippe nemo negavit,

i) Nic. Abram de mendacio ac veritate l. II. c. 5. §35. P. Laymann Theolog. Moralis l. IV. tract. 3. c. 13. n. 8. argument. tert.

est ea ipsa fallendi notio, ut veritate privatum, in errorem inductum alterum velit, quicunque fallat; at, cur hoc consilium turpe sit, monstrandum erat, quod vix facilius perspicietur, etiamsi ter quaterve mutatis tantum verbis recurrat, fallere esse turpe, quia turpe sit fallere; — aut exinde fallendi notionem improbandam esse concludunt, quia alios falli malum sit *k*); si enim vocem mali de turpitudine intellectam volunt, petitio inest principii, sin falli physice tantum malum esse intelligunt, nemo est, qui nesciat, honeste interdum et a nobis suscipi physice mala et aliis infligi; — aut res a fallentibus veritate spoliari docent, idque turpe esse contendunt, quoniam res non nisi eatenus sint, quatenus verae sint *l*); haec enim e metaphysicis depromta objectio quo tendat, nemo intelliget, nisi forte aut turpiter a nobis fieri docere volunt, quod res immutare aggrediamur, aut fallendo revera naturae ordinem tolli, cursum perturbari demonstraverint. Quod vero nonnulli ita concludi posse autumant, si honeste nonnunquam fallant homines, ergo Deum quoque fallere posse, atque hanc consequentiam, quam nemo admittere voluerit, sufficere docent

---

k) Abram loc. citato § 37.

l) Lamb. Danaei Ethices christ. l. II. c. 16. fol. 249.

ad monstrandam turpitudinem fallendi *m*): ejus argumenti vim atque momentum non valeo assequi. Neque enim, quicquid sit contra naturam entis perfectissimi, id turpe esse sequitur, quod si sequi fecerimus, nescio, an nullo alio modo ratio humana evincere possit, in Deum non cadere fallendi notionem, quam ex eorum praeceptorum natura, quae ipse cordibus hominum inscripsit; quod si ita est, istius argumentationis autores turpitudinem fallendi ea re demonstrare deprehendentur, quod in Deum non cadat, in Deum non cadere inde ostendere, quod turpe sit. Alii eo confugiendum esse putaverunt, ut, quoniam sinceritas naturae humanae consentanea esset, eidem autem repugnarent omnes simulandi atque dissimulandi artes, has igitur turpes illam honestam esse docerent *n*). Verum etiamsi na-

---

m) Joh. Calvini commentar. in V libros Mosis (ex officina Commeliniana 1602) ad caput Exodi 1. v. 18. atque ejusdem in librum Josuae commentarius brevis (ex offic. Sanctandreana 1595) ad c. 2. v. 4. Bernard discours sur le mensonge c. 1. § 14. — Misere torquentur in hac ratiocinatione refutanda Saurin Nebenabhandlung von den Lügen § 23. Miller in continuatione Operis Moshemiani Sittenlehre der heiligen Schrift 7ter Theil § 26. pag. 450.

n) Carus Moralphilosophie (Leipz. 1810.) pag. 159: Sie (die Lüge) ist widernatürlich, denn der Naturtrieb geht nicht auf Schein sondern dringt auf offene Aeufserung. Stäudlin Neues Lehrbuch der Moral für Theologen

turae humanae sinceritatem conjunctiorem esse, quam fallaciam, ego quidem facile concesserim, — quod tamen haud scio an ii negatum voluerint, qui ad fallendum neminem esse propensiorem, quam infantes, frequentes monuerunt *o*), — inde tamen nullum argumentum peti posse videtur: quid enim est hominibus ita naturale, ut non ratione regatur, circumscribatur, immutetur necesse sit, ne in vitium ducat? Nihil igitur impedimento est, quominus et natura hominibus insitam vel potius innatam esse statuamus sinceritatem, et eandem tamen ea prudentia regendam esse admittamus, ut nonnunquam simulationi locum concedat.

§ 9.

Gravioris momenti esse videtur, quod est ab aliis allatum, quicunque fallere interdum

---

(1817) § 78. pag. 290. Schwarz Evangelisch-christl. Ethik § 84. pag. 342.

o) Danaei Ethic. christ. l. II. c. 16. fol. 252. Pictet la morale chrétienne l. VI. c. 13. pag. 259: Ce vice est fort commun, — on le remarque même dans les enfans, en commençant à parler ils commencent à mentir. Cfrantur etiam Barbeyrac in notis ad opus Puffendorf. l. IV. c. 1. § 7. not. 1. Süskind Ueber die Gränzen der Pflicht keine Unwahrheit zu sagen (im Magazin für chr. Dogmatik und Moral, 13tes Stück.) pag. 55 et 56.

honestum esse judicent, eos tamen non posse, quin hanc propriam ac veluti peculiarem tenere velint doctrinam, quoniam, si omnibus communis fingatur, ita se ipsa eversura sit, ut, ubi adhiberi queat, nullus reliquus futurus sit locus. Neque enim quisquam facile negaverit, si quod praeceptum sit ejusmodi, ut, ubi universo hominum generi innotuerit, se ipsum tollat, id esse e numero legum ethicarum eximendum; restat, ut videamus, quo jure ullam universalem fieri posse negent, ex qua fallere unquam honestum sit, regulam. Quod partim hac ratione ostendere aggressi sunt, ut moneant, neminem ab eo falli, quem id agere sciat, talis igitur regulae, si omnibus sese probaverit, nullum omnino fore usum, cauturos enim sibi omnes ab omnibus quam diligentissime, ibi vero diligentius etiam, ubi adsit aut adesse ipsis videatur ratio, cur alteri commodum sit, ut fallat. Unde concludunt, nihil aliud relinqui iis, qui simulatione atque dissimulatione uti velint, quam ut aliis persuadere conentur, hanc regulam neque suam esse et esse viro bono plane indignam *p*). Partim vero ad talem re-

p) Jacq. Bernard Discours sur le mensonge c. 1. § 16: Ceux qui poussent la charité si loin, qu'ils croyent, que le mensonge est permis en leur faveur, doivent par cette même charité commencer par mentir en soutenant, qu'ils ne croyent point, que le mensonge soit permis. Car dès

rum statum respicientes, ubi, si non omnibus (id enim vix fieri posse statuunt), at multis tamen persuasum sit, ethice indefinitam esse fallendi notionem, esse igitur, ubi fallere honestum sit, hunc jam ad interitum vergere disputant, quoniam hac opinione semel admissa fides tollatur, sublata vero fide societas humana funditus eversa ruat *q*). Quibus argumentis primum liceat opponere eorum, quae in vita humana quotidie eveniunt, testimonium. Ibi enim manifestum est fieri, ut homines contrariis partibus addicti et alteros fallere velint et idem alteros velle sciant, neque vero sciant solum, sed honeste velle persuasum habeant, quum id tamen neque impediat, quominus fal-

qu'ils exposeront leur doctrine au grand jour, elle deviendra entiérement inutile. Dès qu'ils auront bien persuadé tout le monde, qu'il est permis de mentir, toute leur machine se trouvera renversée, leur sentiment deviendra infructueux, leur mensonge ne servira plus de rien cet. Fichte System der Sittenlehre pag. 386. Est autem diligenter tenendum, quamvis, si verba spectaveris, de mendacio tantum loqui videantur, revera tamen utrumque de fallendo id intellectum velle, quod patet tum ex definitionibus tum ex caetera eorum hac de re doctrina. Quae observatio ne sit nobis saepius repetenda, hic monuisse sufficiat, si forte in sequentibus, quae de mendaciis intelligenda videantur aliorum effata, ea de fallaciis fuerimus interpretati, ejus rei vel eandem vel similem esse rationem.

q) Bernard Discours sur le mensonge c. 1. § 17.

lantur, tantum vero absit, ut omnem fidem tollat societatisque subvertat fundamenta, ut et in hoc statu versantes de quibusdam sinceri esse sibique fidere possint et ab eo quovis temporis momento communi consensu recedere. Haec enim omnia et in bello satis frequenter et in ludis nonnunquam usu venire neminem fugere putaverim. Deinde vero diligenter tenendum est, quo fiat, ut speciem quandam ratiocinationi suae conciliare queant, hoc esse, quod inter notiones fallendi atque mentiendi parum accurate distinguant et tanquam concessum sumant, qui fallendi quaedam exempla honesta putet, eum de mendaciis eandem fovere sententiam. Adversus mendacium autem num valeat et quo sensu valeat eorum argumentatio, posthac erit ex proposito quaerendum, hic monuisse sufficiet, quum inventum sit, quo a caeteris fallaciis mendacium distinguatur, nihil esse impedimento, quominus (id quod satis multos fecisse constat *r*) ita sibi quisquam nonnullas fallacias honestas esse persuadeat, ut mendacium tamen nunquam non turpe esse statuat: qua re utrius-

---

r) Unum hic nominasse sufficiat Forbesium in Theolog. Moral. l. IX. c. 9 § 5: — "nam interdum falsam opinionem animo alicujus ingerere licet, modo id non fiat per mendacium, fas enim id facere prudenti silentio aut stratagemate et insidiis militaribus." — Caeteri suo loco in sequentibus commemorabuntur (§ 11 not.).

que rationis, cur, quae lex unquam fallere praecipiat, ea universalis fieri non possit, tollitur vis atque momentum. Ad priorem enim quod attinet, jam eo erit autoribus ejus confugiendum, ut dicant, in iis tamen significationibus, quibus fallere nonnunquam licitum sit, neminem hujus regulae gnarum rebus ab altero simulatis aut dissimulatis in errorem induci posse. Verum id ipsum facilius dicitur, quam probatur. Quidni enim falli possis? "Quia scio, alterum simulare." Imo vero nescis; — nôsti, eum nonnunquam, fortasse igitur hìc quoque debere fallere, sed utrum revera id facere velit necne, utrum simulando an rectam ad scopum viam affectando (sperans nimirum, fore, ut propter suspicionem deceptus statuas, non hunc esse ipsius scopum), quanam tandem ratione intelligere possis? "At quoniam non certo sciam, velitne fallere necne, nesciam autem, quibus artibus, si velit, usurus sit: nihil igitur ex significationibus ejus vel potius ex omnibus externis ejus actionibus concludam, perinde ac si eas aut ille non patrasset, aut ego non rescivissem." Verum id vix ac ne vix quidem a te impetraveris, neque enim moris est hominum, ut, ubi certis non liceat uti, ibi veri similia respuant, neque prudentis hominis esse videtur, ut, ne quando, dum aliorum fines atque consilia ex eorum actionibus conjicere

tentet, in errorem inducatur, adjumentum missum faciat, quod sit ad ista cognoscenda praeter ingenuam ipsorum enuntiationem unicum et plane necessarium. — Adde, quod ejusmodi etiam occurrunt casus, in quibus, quamvis quis non id agat, ut fallat, facienda tamen ei sint, unde non fieri possit quin falsa concludant alii *s*). Quo fit, ut, si tibi constare volueris, contendere cogaris, etiamsi nemini unquam licere faciamus, ut velit fallere, nihilo tamen minus valedicendum esse cunctis, quae a rebus in facto positis ad animum agentis sive concludendi sive conjiciendi rationes inter homines obtineant. Quod si nemo est, qui sibi persuadere queat, nemo, qui alios docere audeat, velim tamen scire, cur ideo magis rejiciendae sint, quia fieri possit, ut non a nolentibus tantum sed interdum quoque a volentibus fallamur. — "Imo, inquies, utar fortassis ego quoque,

---

s) Jos. Butler of the nature of virtue (in Appendice ad librum, qui inscribitur: The analogy of religion natural and revealed. London 1736. 8.) pag. 467: It must likewise be observed, that in numberless cases a man may be under the strictest obligations to what he foresees will deceive, without his intending it. For it is impossible not to foresee, that the words and actions of men in different ranks and employments and of different educations will perpetually be mistaken by each other, cet.

sicuti alios video, his conclusionibus. vel potius indulgebo otiosis istis conjecturis, quoniam autem bene conscius ero, quicquid ita inventum sit, parum certo niti fundamento, eo haudquaquam me ad agendum induci patiar; non fallar igitur, quippe qui, sive rectum videro, sive falsum mihi visum fuerit verisimile, neutrum sim secuturus." Sed ne hoc quidem largiri possumus, neque enim in tua positum est potestate. Nam id quidem constare debet, neminem alia de causa fallaciis adversus te uti, quam quo in efficaciam tuam huc illuc flectendam, incitandam, inhibendam, ex suis denique consiliis regendam influat. Jam vero patet, non posse fieri, ut, quemadmodum de iis, quae incerta conjectura tibi videaris subodoratus esse, dubites, dum certiora habeas, ita etiam inter facienda atque omittenda, quae ille a te vel fieri voluerit vel omitti, indifferens haereas, quippe qui, dum haereas, omittas, fortasse igitur facias nolens atque nesciens, quod ille a te fieri exoptet. — Atque haec quidem de priore eorum sufficiant argumento: ad posterius si jam voluerimus respicere, id his finibus erit circumscribendum, ut dicant, si non in iis, quae sermone significentur, at in iis tamen, quae aliis modis indicentur, fidem mutuam sublatum iri, inde hominum societatem eversum iri concludant. Ex quibus unum, ne morosi

inveniamur, concedimus, fidem sublatum iri, modo ut, quaenam sit illa fides, constituere liceat. Tolletur nimirum, si exstitit unquam, ea persuasio, non posse fieri, quin ab externis aliorum actionibus ad animum ipsorum omnino certa pervenire liceat conclusione; eoque res reducetur, ut, quicunque exinde aliquid voluerit colligere, is ita conjecturae indulgere debeat, ut meminerit, neque in prima specie esse subsistendum, neque hinc omni dubio majorem hauriri posse cognitionem. Verum quomodo ea res societatem hominum sit destructura, difficile est intellectu. Etiamsi enim omnes istae tolli fingantur, quae incertiores tantum redduntur, ut modo vidimus, conjecturae, ea re tamen, quamdiu sermonis purum manserit liberumque a mendaciis commercium, aut paullum aut nihil adversus societatem effici, quis est, quin videat? "At non poterit a mendaciis purus servari sermo, si fallere unquam honestum esse docueris, a caeteris enim fallaciis ad mendacia nullis terminis vagabitur licentia." Vera erit haec objectio, si quis in vulgaribus quibusdam subsistere voluerit parumque accuratis, quibus notiones mentiendi et fallendi distinguuntur, rationibus: at, si quis nostram amplexus fuerit mendacii definitionem, ita clarum fore speramus utriusque notionis discrimen, ut ab honestis

fallendi exemplis ad honesta mendacia nemo, nisi cui libeat errare, concludere possit.

Ex hactenus disputatis manifestum erit, quamvis eum facilius falli concedendum sit, qui ne suspicetur quidem, esse, qui honesta judicent quaedam fallaciarum genera, quam eum, qui, quum et ipse simulatione atque dissimulatione interdum utatur et idem juris tribuat aliis, tardior sit igitur atque cautior in credendo: nihil esse tamen in ipsa uniuscujusque praecepti, quod fallere nonnunquam jubeat, forma, cur, si universo hominum generi commune fingatur, se ipsum sit eversurum.

Neque tamen inde statim concludere licebit, nullam esse fallendi, si per se spectetur haec notio, turpitudinem; est enim diligenter tenendum, quamquam nullum ethicum praeceptum formali illa universalitate (Allgemeingültigkeit) carere possit, ideo tamen non sequi, quaecunque regula practica eâdem gaudeat, eam veram esse atque honestam *t*). Quamobrem hactenus disputata eo tantum valent, ut removeatur, quae ex defectu universalitatis illius petita est objectio, non sufficiunt autem ad solvendam quaestionem

---

t) Cfrantur, quae adversus Kantium monuit Schleiermacher Kritik aller bisherigen Systeme der Sittenlehre pag. 134. 135.

nostram, utrum turpe sit universum fallendi genus, an ethice indefinitum, in qua igitur enucleanda pergemus.

§ 10.

Venimus nunc ad argumentum, quod, si non natum est recentioribus temporibus, certe tum primum disertis verbis tradi atque urgeri coeptum, illud intelligo, quod post Kantium frequentes tam theologi quam philosophi a majestate entis rationalis peti posse statuerunt, quam vel levissima discrepantiae inter externas actiones atque internas animi affectiones umbra violari necesse sit atque foedari. Id autem eam potissimum ob causam adeo multis sese probasse putaverim, quod, quum sit ab autore seu restitutore suo breviter atque subobscure indigitatum potius, quam aut enucleate expositum aut solide confirmatum, admodum variis rationibus explicari atque aliis ab alia parte commendari possit. Unde ita diverso sensu apud singulos accepta atque tradita occurrit illa doctrina de violatione dignitatis atque praestantiae nostrae, quae fallendo committatur, ut nihil supra. Alii enim in eo ponendam esse putant hanc violationem, quod, qui fallat, animi mutabilitatem prodat, levitatem, inconstantiam; alii, quod inter simulandum atque dissimulandum

"homo noumenon homine phaenomeno" instrumenti aut rei instar utatur vel potius abutatur; sunt vero etiam, qui homines fallendo infra brutorum rerumque inanimarum conditionem delabi doceant et inde omnium fallaciarum turpitudinem monstrare aggrediantur. Neque vero desunt variae in his rursus argumentis illustrandis sententiae. De quibus omnibus breviter pro viribus disseremus.

Quaeramus igitur primum, quodnam sit in fallente inconstantiae vestigium. "Varius sit necesse est in toto genere vitae, quod enim modo dissimulavit, jam sincere indicat, quod per hanc vel illam actionem simulavit, mox aliis actionibus nihil esse ostendit, dissidet igitur in singulis ferme actionibus a se ipso" *u*). Age vero, liceat id inconstantiae tribuere, — quamvis nobis quidem constantiae potius esse videatur, si viator, ad quem scopum rectà incedens pervenire non possit, ad eam jam dextrorsum jam sinistrorsum gressus deflectens per circuitum tendere perseveret, — verum sit ea inconstantia, quid est tandem, cur turpis sit aut ho-

u) Huc redire videntur, quae habent Reinhard System der chr. Moral § 295 et 296, atque Eschenmayer System der Moralphilosophie § 188 in.: "Wahrhaftigkeit ist nur eine Pflicht gegen mich selbst u. gehört zur Behauptung des persönlichen Charakters."

mine indigna? Nisi enim in consiliis persequendis media mutare licebit, quis erit prudentiae locus? Faciamus vero (quod ex mutatis mediis, ut jam innuimus, haudquaquam sequitur), fallentem fines quoque et universam vitae suae rationem mutare, quis est, qui id per se turpe esse judicet? Neque enim in ente imperfecto mutatio improbari poterit, quippe quum omnis in aliqua re profectus mutatio sit. "At vero, inquiunt, non in eo solum ponenda est fallentis inconstantia, quod saepenumero vitae morumque faciat commutationem, sed quod propter animum infirmum atque abjectum *τοις οὐκ ἐφ᾽ ἡμιν οὖσι* inserviat, seque aut cupiditate aut metu aut alia quadam animi perturbatione induci patiatur, ut mutet, quae alias non fuisset mutaturus" ν). Sufficiet hoc quidem ad monstrandam fallendi turpitudinem, ea lege tamen, ut non asserant tantum, rem ita sese habere, sed ostendant; quod nescio an non possit fieri aliter, quam per plenam inductionem; in notione enim fallendi nihil continetur (ut jam su-

ν) Baumgarten-Crusius Lehrbuch der chr. Sittenlehre §64: Der Unwahrhafte verändert sich aber nicht nur fortwährend in seinem inneren Leben, sondern er thut es auch aus Abhängigkeit von gemeinen Neigungen u. Wünschen oder von äuſserlichen Umständen und dem Willen der Menschen cet.

pra est monstratum *x*) de rationibus, quibus permoveantur homines, ut fallant. Aegre autem iis persuadebunt, puto, qui nullam aliam ob causam indefinitam esse volunt fallendi notionem, quam quo, ubi quando aliorum vel rei familiari vel valetudini vel vitae atque saluti aliter providere nequeant, ibi fallaciarum ope istos fines persequi liceat. Hos enim fines sicuti nemo aut ad turpes cupiditates satiandas pertinere putaverit, aut animi infirmi atque abjecti esse indices, ita nihilo magis huc referet vel nimium in iis persequendis fervorem. Fallentem autem rebus quodammodo inservire, quippe quas alia ratione sibi subjicere nequeat, non negabunt, qui nonnulla fallendi exempla honesta esse judicant, quaerent autem, cur id homine indignum sit, aut quodnam sit in eo inconstantiae signum. — Sequitur ex hactenus disputatis, primum non esse veri nominis inconstantiam, quae ab hujus argumenti patronis inducatur, deinde quod hoc nomine significatum volunt, id ipsum aut non inesse necessario fallendi notioni aut argumentationem rursus desiderare, qua turpe esse monstretur. Et videntur quidem statuisse, ejusmodi argumentationem suppeditatam esse per scitum illud Kantianum, quo docet, quicunque fallat, eum abdicare veluti facultate ex re-

---

x) Vide § 5.

gulis universalibus vitam moderandi et hanc sibi scribere agendi normam, nulli ut velit universali obediens esse legi *y*). Quoniam autem in antecedentibus ostendimus, universalitate gaudere posse etiam ejusmodi praecepta, quae nonnunquam fallere jubeant, manifestum est, eas conclusiones concidere debere, quae hoc scito nitantur.

Si ad eam, quam secundo loco commemoravimus, ejusdem argumenti speciem convertimur, illam nimirum, quod, qui fallat, se ipso instrumenti instar utatur vel potius abutatur *z*), ultro sese offert responsio, turpitudinem fallendi non esse in iis ponendam, quae de sinceris non

y) Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre pag. 68: Was aber die Pflicht des Menschen gegen sich selbst blos als moralisches Wesen, ohne auf seine Thierheit zu sehen, betrifft, so besteht sie im Formalen, der Uebereinstimmung der Maximen seines Willens mit der Würde der Menschheit in seiner Person. — Die Laster, welche dieser Pflicht entgegenstehen, sind die Lüge, der Geitz und die falsche Demuth (Kriecherey). Diese nehmen sich Grundsätze, welche ihrem Charakter als moralischer Wesen d. i. der inneren Freyheit, der angebornen Würde des Menschen geradezu schon der Form nach widersprechen, welches so viel sagt: sie machen sich es zum Grundsatz keinen Grundsatz und so auch keinen Charakter zu haben d. i. sich wegzuwerfen und sich zum Gegenstande der Verachtung zu machen.

z) Kant Metaph. Anfangsgründe der Tugendl. pag. 85.

secus ac de fallentibus praedicare liceat. Neque enim alio pertinet, si quid video, haec simulationem potissimum improbandi ratio, quam quod vultum, gestus, vocem tanquam instrumenta ad significandum, quicquid significatum voluerint, fallentes adhibeant: idem vero nemo est mortalium, quin absque ullo fallendi consilio et ipse quotidie faciat et ab aliis licite fieri concedat *a*).

Restat eorum sententia, qui violationem illam praestantiae nostrae, cujus omnes fallentes reos esse volunt, ita depingunt, ut, quicunque alium se gerat, quam sit, eum de gradu personae infra conditionem brutorum rerumque vita carentium delabi doceant, quique doctrinam suam hoc argumento confirmant, quod res eatenus tamen alicujus sint pretii, quatenus non mera specie nobis illudant, possint igitur in usum nostrum converti, in homine autem fallente contrarium usu venire debeat *b*). At hoc quoque argumentum, si diligentius fuerit consideratum,

---

a) Süskind über die Gränzen der Pflicht keine Unwahrheit zu sagen pag. 43: Nicht sich sondern seine Sprachorgane braucht er als Mittel um in dem Andern gewisse Vorstellungen zu erwecken; aber das sind sie ja auch, und als solche braucht sie ja auch derjenige, welcher die Wahrheit redet.

b) Kant in libro cit. pag. 84: Ein Mensch, der selbst nicht glaubt was er einem Anderen sagt, hat einen noch geringeren Werth als wenn er blos Sache wäre, denn

evanescet. Nititur enim ea opinione, si fallere unquam licitum esse existimetur, tolli omnes ab externis hominum actionibus ad animum eorum conclusiones, quae res quum longe aliter sese habeat, ut pluribus est a nobis in supra disputatis monstratum *c*), corruat necesse est, quicquid huic fundamento fuerit superstructum. Non possumus autem a nobis impetrare, ut silentio praetereamus, quanta cum inconstantia ab iisdem hoc argumentum afferatur, quibus solenne sit praecipere, ne quis aliis hominibus tanquam instrumentis utatur. Neque enim aliud quid fallenti vitio vertere videntur, quam quod fallaciis suis prohibeat, quominus alii ipso tanquam instrumento uti possint, quae res tamen ex eorum doctrina nullo pacto poterit improbari.

Singulas attulimus expositiones ejus argumenti, ex quo turpitudo fallendi ponenda est in discrepantia hominis externi atque interni, quasi quae sit ente rationabili indigna; reliquum est, ut breviter innuamus, quorsum hoc argumentum universe spectatum, qua tandem enuntietur for-

von dieser ihrer Eigenschaft etwas zu nutzen kann ein anderer doch irgend einen Gebrauch machen, weil sie etwas Wirkliches und Gegebenes ist. Stäudlin Neues Lehrbuch der Moral für Theol. § 78. pag. 291. Carus Moralphilosophie pag. 160.

c) Vide § 9. pag. 74.

mula, deducere debeat fautores suos. Et primum quidem manifestum est, si per se turpis sit omnis significationum nostrarum ab animo nostro discrepantia, inde necessario sequi, non magis licere, ut animalia fallamus, quam ut homines, — neque enim ea re minuitur in nostra agendi ratione inaequalitas, quod ista neque facultate fortasse gaudeant neque jure sinceritate nostra fruendi, — id autem si nemo est qui sibi persuadere possit, rejicienda erit doctrina, ex qua ejusmodi nascuntur sententiarum ineptiae *d*). Deinde vero non mimorum tantum atque histrionum artes, si hanc doctrinam admiseris, damnandae erunt, verum id quoque, si tibi constare volueris, improbandum, si quis aut ira aut alia quadam animi perturba-

---

d) Süskind Ueber die Gränz. d. Pf. u. s. w. pag. 37: Ist der Widerspruch zwischen unsern Worten oder überhaupt unsern äufseren Thätigkeiten und unsern inneren Gesinnungen an sich Verlezung der Achtung gegen die Würde der Vernunft in unserer eigenen Person? Man wird schon dadurch veranlafst dies zu bezweifeln, weil, wenn diese Frage bejaht werden müsste — daraus nothwendig folgen würde, dass es auch unmoralisch sey gegen unvernünftige Thiere unsere Aeufserungen in einen Widerspruch mit unserem Innern zu sezen, d. h. unvernünftige Thiere zu täuschen um uns ihrer zu gewissen Zwecken bedienen zu können. Dies aber für unmoralisch zu halten ist noch keinem vernünftigen Menschen eingefallen.

tione graviter commotus, dum eam coërcere conetur, prius externa ejus vestigia quam in animum efficaciam deleverit, solitaeque redditus videatur animi tranquillitati, quamvis in ea restituenda adhuc laboret. Neque vero objicere licebit, neutros eorum, quos commemoravimus, hominum id agere, ut aliis falsa persuadeant; non diximus enim, eos fallere, sed peccare, siquidem, quae fallendi constituat turpitudinem, in iis quoque deprehendatur discrepantia atque inaequalitas. Quare eo deducitur causa eorum, qui hinc derivatam volunt turpitudinem fallendi, ut, si damnaverint actiones a nobis commemoratas, non dico sensui communi, sed ipsi veritati bellum indixisse videantur, sin e numero turpiter factorum exemerint, concedere cogantur, non posse in ista hominis externi atque interni discrepantia latere rationem, cur fallere vetemur. — De his igitur satis.

§ 11.

Jam vero parumper subsistendum erit, ut, quid per hactenus disputata circa monstrandam fallendi turpitudinem nobis videatur effectum, paucis ostendamus. — Etenim, quae reliqua esse videntur adversus fallendum argumenta, ea, quoniam ex violatione juris eorum, qui falluntur, derivata sunt, ex notione autem fallendi nihil

quicquam de hoc jure elici potest, ita demum huc referenda forent, si vel ratione vel plena inductione monstratum esset, quaecunque entia falli possint, ea tali, ne fallantur, jure gaudere, quod nunquam amittere, nunquam abdicare queant, sine quo, ut verbo dicamus, cogitari nequeant. Quod quum neque monstratum sit a quoquam, neque possit, si quid video, monstrari, sit vero e contrario manifestum, si in jure aliorum ponendum sit, cur fallere vetemur, plura fortasse aut pauciora, prouti varie constituatur jus illud, at nonnulla certe fallendi exempla licita fore atque honesta: sequitur, argumenta inde petita non adversus fallendum sed adversus eas tantum fallendi species posse valere, in quibus juris alicujus violatio deprehendatur. Ejusmodi autem argumenta non erunt nobis pro ratione hujus disquisitionis prius attingenda, quam constiterit, utrum inveniantur necne, cur universum fallendi genus turpe esse statuamus, rationes sufficientes. — Consideratis igitur singulis, quae sunt ad monstrandam ipsius notionis turpitudinem ab aliis allata, quibus quod de nostro adjiciamus habemus nihil, quum nullum inventum sit, in quo tanquam sufficiente acquiescere possimus, argumentum, eo autem sponte nos deduxerit illorum refutatio, ut simulationem atque dissimulationem neque homine natura sua indignam esse intellexerimus, neque

universalitate necessario destitui: nobis quidem nihil videtur relinqui, nisi ut, donec novae allatae fuerint (quod vix fieri posse videtur) magis idoneae rationes, unde notio fallendi legibus conscientiae repugnare intelligatur, statuamus, eam esse ethice indefinitam, de cujus igitur singulis exemplis ethice aestimandis sit nobis instituenda quaestio. Neque est enim, ut supra monuimus, postulandum, neque potest, nisi propter summam rerum ethicarum inscitiam, postulari, ut leges afferantur, quae notionem aliquam ethice indefinitam reddant, quippe quae ea ipsa re indefinita esse intelligatur, si absolute ac per se spectata nullum habeat necessarium cum legibus aut jubentibus aut vetantibus nexum. Quoniam vero liquidissimum praebere debebit pro sententia nostra argumentum, si inventa fuerint atque in medium prolata ejusmodi fallendi exempla, quae turpiter factis nemo ausit annumerare, liceat in memoriam revocare, quas modo commemoravimus, fallacias in capiendis atque mansuefaciendis animalibus satis frequenter obvias. Unde si quis ita se voluerit extricare, ut neget, veri nominis esse fallacias, quae non versentur in commercio entium rationabilium, non admodum refragabimur, quoniam paulo altius rem repetituris ne in isto quidem commercio licite atque honeste fallendi exempla poterunt deesse. Observetur igitur volumus,

quicunque id tantum dederit (quod et ab omnibus ferme conceditur et est necessario concedendum), esse haud pauca prudenti dissimulatione celanda atque tegenda sine ullo alios in errorem inducendi consilio, eum vix posse, quin hoc quoque consilio interdum esse dissimulandum, si sibi constare velit, nobiscum statuat. Neque enim est dubium, quin accidere possit, ubi honestis piisque votis expetamus, ut fallatur aliquis potius et hac ratione conservetur vel a scelere purus vel ab infortunio integer, quam ut per rectam atque exactam rei alicujus cognitionem pereat. Jam vero faciamus, utrumque ita concurrere, ut, quae liceat nobis dissimulare, ea si dissimulaverimus, inde alium quem falsi quid conclusurum esse intelligamus, eaque re saluti et suae et aliorum melius consulturum, quam si verum perspexerit: tum enim nihil omnino obesse videtur, quominus dissimulatione illa, caeteroquin licita, eo animo utamur, ut alterum in errorem inductum velimus, h. e. quominus fallamus. Habemus igitur non exemplum tantum sed speciem fallendi, in qua, si a juris violatione discesseris *e*), nihil quicquam improbari

---

e) Cave statuas, inepte a nobis adjici hanc conditionem, qui, quem inducamus fallendum, eum non in damnum suum aut detrimentum contra in salutem suam falli faciamus, est enim diligenter tenendum, inter laedere atque

possit. Convenit quippe inter nos, nullam inesse neque in dissimulatione neque in fine, propter quem eam adhiberi fecimus, si per se spectentur, turpitudinem: nihil autem rationis esse videtur, cur, quae singula licita sint, ea juncta, nulla alia re accedente, turpia judicemus. "At, inquies, sufficiet ad damnandas illas quoque fallacias juris violatio"! Sufficiet ea quidem, modo ut eis insit; vidimus enim, non sequi necessario ex notione fallendi, ut jus alicujus laedatur, ubi ea res usu veniat, posthac videbimus. Neque tamen hanc objectionem magnopere nobis urgendam existimamus, dummodo enim intelligas, esse tibi, quo certa quaedam improbare queas fallendi exempla, ad aliorum jura confugiendum, effectum est, quod hac disputatione effici voluimus. Est quippe illa mere praeparatoria neque alio pertinet, quam ut, excussa illa opinione de invenienda in ipsa fallendi notione turpitudine, aequis auribus libcroque a praejudicatis opinionibus animo sequentia accipere possis exempla, in quibus ne juris laesionem invenire tibi videaris, non est nobis admodum metuendum. Hoc igitur animo, ut

---

nocere multum interesse, unde fiat, ut et laedere possimus, quibus non noceamus, et nocere, quos haudquaquam laedamus; cfratur Kant über ein vermeintes Recht aus Menschenliebe zu lügen (im dritten Bande der vermischten Schriften) pag. 364. 365.

nihil sis in talibus fallaciis praeter juris violationem reprehensurus, judicium feras velim de ejusmodi artificio, si quis per sylvam latronibus infestam iter faciens eo consilio timorem dissimulaverit solitamque vultus, vocis, incessus constantiam servaverit, ut, quem intelligant non posse nescire viae pericula, eum auxiliis latentibus confidere rati intactum praetermittant. Quem si non potueris quin culpa vacare statuas, quaeram porro, nonne eum quoque, qui vel eodem vel simili usus fuerit inter furentes artificio. Neque vero jam dissimulationis nos continebimus terminis, modo enim id firmiter retineas, nihil inventum esse in notione fallendi, cur singula ejus exempla qua talia turpia esse statuamus, simulationis quoque invenientur exempla, quae non possis non comprobare. Faciamus enim aliquam alteram Arriam, ne marito graviter aegrotanti mentisque haud satis compoti nuntium de morte filii prodere cogatur, simulata hilaritate efficere, ut nullus ei praebeatur de valetudine filii aut dubitandi aut quaerendi locus *f*): quis est, qui eam simulationem improbare ausit? Quis porro improbabit, si militem gregarium imperator veste atque

---

f) Observandum est, Arriam illam Paeti, quam historia celebrat, mentitam esse, nostram autem (ita enim jubemus) in simulatione substitisse.

habitu simulaverit, ne in ipsum tota vis hostium omniaque tela dirigerentur, aut si quis sclopetum non praeparatum hostibus minatus fuerit vanum teli specie terrorem injecturus, et quae sunt caetera hujusmodi? Quin ipsum illud, quod jam supra commemoravimus, Horatii artificium, hostes simulata fuga in errorem ipsis fatalem inducentis, haud scio an honestae prudentiae tantum non omnes habituri sint exemplum. — Haud difficile foret plura congerere, at haec exempla sufficient, spero, quum et dubio careat eorum honestas, et ad eorum similitudinem plura, quicunque velit, facili opera fingere possit: quantum autem valere debeant, vel inde intelligi potest, quod, qui sunt in quaestione nostra satis varie versati, eorum tamen plerique eatenus consentiunt, ut unam aut alteram fallaciam honestam esse doceant *g*). Jam vero, si quaedam, imo si unum

---

g) Praeter illorum catervas, qui, quum mentiendi quaedam exempla honesta esse statuant, idem de fallaciis censere ultro intelliguntur, eorum quoque nonnulli id docent, qui omnia mendacia turpia esse volunt. Citantur Antoninus in Summa P. II. tit. 10. c. 1. § 1: „Hinc est, quod in mendacio oris, quod proprie dicitur mendacium, semper est ibi peccatum, sed simulatio operis non semper est peccatum." Joann. Azorius in Institut. Moral P. III. l. 13. c. 4. pag. 908: "Respondetur, aliquando licere (simulationem) ob justam causam et rationem,

fallendi exemplum licitum atque honestum esse conceditur, ea res debet ex iis, quae supra fusius disputavimus *h*), sufficere ad monstrandum, non turpem esse ipsam fallendi notionem, sed ethice indefinitam.

§ 12.

His ita constitutis, jam eo licebit transire, ut quaeramus, quid sit, quod, etsi neque notam constituat notionis fallendi neque ex ea necessario sequatur, ita tamen vicinum sit huic notioni, ut plerisque insit fallaciis, ferat autem secum earum, quibus insit, turpitudinem: nam id quidem non est infitiandum, longe plura esse fallendi exempla in vita communi obvia, quae turpia, quam quae honesta merito judicentur,

nimirum in re militari, sunt enim insidiae militares, quibus invicem hostes sese solent decipere, et sunt insidiae utrique parti belligeranti communes. Item in ludo collusores solent uti quibusdam fraudibus inter se vicissim." Abramus de mendacio ac veritate l. I. c. 16. § 113. Lychetus in commentario in Scoti quaestiones l. III. distit. 38. quaest. unic. n. 16 et 65. Pictet la morale chrétienne l. VI. c. 13. pag. 275: Les ruses et les stratagémes de la guerre ne sont point des mensonges, chacun sait assez, que tous les mouvements des grands Capitaines ont des vûës cachées.

h) Vide § 7.

unde etiam fieri videmus, ut, si quem fallacia usum esse dixeris, de honesta fallacia, nisi id disertis verbis adjeceris, vix cogitet quisquam. Innuimus autem in antea dictis, hanc quaestionem ab iis, qui nonnullas fallacias honestas esse intelligant, ita fere solvi solere, ut ex jure aliorum, quibuscum nobis res sit, petatur ratio, cur pleraque illicita sint simulandi atque dissimulandi exempla. Neque vero ea est doctorum tantum quorundam sententia, imo ab antiquissimis inde temporibus vestigia occurrunt, unde haec tantum non universorum populorum persuasio fuisse intelligatur. Etenim ut id concedamus necessario perducimur, quoniam insidias aliaque strategemata fraudes denique omnigenas, si adversus hostem praesertim publicum adhibeantur, clarissimarum gentium judicio comprobari videmus, eadem in commercio civium aut eorum, qui apertis non dissideant inimicitiis, graviter improbari: quamobrem generis humani potius quam vel Choroebi vel suam Maro enuntiasse videtur sententiam, ubi eum inducit exclamanten: "dolus an virtus, quis in hoste requirat"? — illam nimirum, ad alios praecipue eorumque jura esse in fallaciis dijudicandis respiciendum, ubi ea non violentur, quemadmodum in hoste circumveniendo, ibi de fallaciis licitis atque honestis haud inepte inferri mentionem. Sed in hoc indoctorum praecipue consensu circa

judicium de fallaciarum aut turpitudine aut honestate ad jus eorum, qui falluntur, revocandum, dissensioni inter viros doctos locum praebuit quaestio de hoc jure accuratius constituendo.

Inventi sunt, qui, quum intelligerent, nonnunquam accidere, ut jus aliis competeret rem aliquam nostra ope cognoscendi, nobis igitur obligatio incumberet eandem iis indicandi, inde explicari posse arbitrati sint, cur in plerisque casibus fallere vetent conscientiae leges. Ita **Puffendorf** obligari homines docet ad verum indicandum vel per pactum aliquod peculiare vel communi legis naturalis praecepto vel praesentis negotii natura; eae vero ubi desint obligationes, ibi fallere non secus ac tacere permittit, prouti postulent vel nostri commodi vel aliorum rationes *i*). Unde etiam, in definitione mendacii adjiciendum putavit, ut is, ad quem signa dirigantur, jus habeat intelligendi atque judicandi sententiam nostram, nobis igitur obligatio incumbat faciendi, ut ille eam intelligat *k*); de falsiloquiis autem: "Atqui, inquit, si alteri nullum est jus, ut animi mei sententiam liquido debeat intelligere, neque alteri

---

i) De jure Naturae et Gentium l. IV. c. 1. § 7.

k) Ibidem § 8.

noxa aliqua praeter meritum inferatur, nulla apparet ratio, quare, si ita mihi expediat, ego istis verbis ad alterius potius quam meum arbitrium uti debeam" *l*). Eidem fundamento superstructum est, quod in mendaciis quibusdam excusandis attulit Saurin *m*). At, sicuti est concedendum, ejusmodi casus in vita hominum occurrere, in quibus hanc vel illam rem respectu juris aliorum iis indicare teneamur, itemque, omnino improbandum esse, quoties hi casus occurrant, fallaciarum usum, ita id quoque negabit nemo, qui in hanc rem diligentius inspexerit, longe plura fallendi exempla turpia esse, quam de quorum turpitudine ex hac sententia ratio reddi possit. Neque vero aliter fieri potest, quoniam confunduntur ab ejus sententiae patronis (id quod aliis quoque multis video accidisse) obligationes duae plane diversae, altera nimirum positiva, ut dicunt, ad verum indican-

---

l) Ibidem § 9.

m) Nebenabhandlung von den Lügen § 9. Cfratur Hutcheson in libro, qui inscribitur: A system of moral philosophy (London 1755. 4.) l. II. c. 10. § 3: Wherever another has a right perfect or imperfect to know our sentiments, there even concealing them by silence, as well as all deception by any signs, is criminal. But where others have no such right — we may deceive them by such use of signs, as imports no profession of communicating our sentiments.

dum, altera negativa, ne falsae opinionis autores aliis existere velimus, sumitur autem tanquam concessum, ubicunque non obligemur ad verum significandum, ibi sine ulla juris violatione posse falsa a nobis significari. Quae res longe aliter sese habet; est enim, sicuti inter vera dicere et mentiri silentium, ita inter fallere et rem aliquam simpliciter ac sincere indicare tertium aliquod reliquum, ut neque eo consilio quicquam faciamus, quo haec vel illa res ab aliis intelligatur, neque id agamus, ut falsi aliquid ab iis pro vero arripiatur, sed ut aut, quocunque vocaverit officium, eo sequamur, quid alii inde sint conclusuri plane securi, aut caveamus, quatenus sine fallaciis fieri possit, ne aliis innotescat, si quid eos celatum velimus. Quae quum ita sint, apparet, non posse fieri, quin, etiamsi summa injuria postulaturus fuisset alter, ut ipsi haec vel illa res a nobis indicaretur, injustitiae tamen persaepe nos reddamus reos, si, non indicasse parum contenti, fallaciis eum ludibrio habeamus. Quum igitur fallaciae sint quidem damnandae, quoties alii jure gaudeant rem aliquam a nobis cognoscendi, non possint autem, quoties illi tali jure destituantur, juste adhiberi: sequitur, non esse in isto aliorum jure verum nostra ope intelligendi ponendam rationem, cur illicita a licitis distinguantur fallendi exempla, sed cumu-

latae tantum in quibusdam illicitis turpitudinis causam.

§ 13.

Quamquam autem neque haec doctrina sufficiens praebet illius distinctionis explicandae fundamentum, neque vero magis huc faciunt aliae quaedam de tali jure inveniendo atque constituendo sententiae, quas, quoniam minoris sunt momenti, brevitatis studio censemus esse silentio praetereundas: non possumus tamen, quin eatenus earum autores verum vidisse statuamus, quatenus in violatione quadam juris ponendam esse ducerent turpitudinem, quam plerisque fallaciis observàrant inhaerere. Ut enim taceamus, quem supra commemoravimus, gentium consensum huc revocantem judicium de honestate ac turpitudine fallaciarum, pro eadem sententia militare videntur, quotquot sunt a nobis allata, licite fallendi exempla: in iis enim omnibus tales homines fallendi inducuntur, qui vel propter scelera, in quibus perpetrandis versentur, vel propter mentis alienationem vel ob aliam denique causam capitis deminutionem, ut ita dicam, patiantur; turpia autem eadem reddentur exempla, si illorum hominum paululum immutaveris descriptionem. — Statuimus autem, ideo non successisse eorum in commonstrando

jure illo, quod fallendo violari soleat, labores, quod laesionem juris alicujus specialis quaerendam esse putaverint, quum tamen subsistendum fuisset in ipsa facultate jura habendi neglecta atque contemta, universo igitur eorum, qui falluntur, jure in ipsis principiis suis laeso. Ut vero in hac nostra sententia exponenda atque tuenda satis firmo insistere possimus fundamento, paulo altius erit res repetenda. Id igitur nemo facile negabit, primum, hanc unam ob causam sese esse alicujus pretii, — loquimur autem de pretio absoluto, absque ulla aut cum aliis comparatione aut ad arbitrarios eorum fines relatione, — quod rationis gaudeat usu, eoque internae atque spontaneae cum legibus ethicis harmoniae sit capax, eodem igitur utendum esse modulo in aliorum dignitate constituenda; deinde eo esse sibi omni conamine nitendum, ut et in ipso stabiliatur atque confirmetur rationis imperium summaque oriatur harmonia cum voluntate divina in iis expressa, et in universo mundo cuncta eidem, quantum cujusque rei sinat natura, vel directo modo vel indirecto (unmittelbar oder mittelbar) subjiciantur. Jam vero, quum simus inter duo entium genera constituti, quorum altera sint rationis expertia, altera nobis ea re, quod ratione praedita sint, paria, manifesto sequitur, diverso modo nos debere erga ea affectos esse, diverso modo influere in eorum effi-

caciam ad leges rationis revocandam atque regendam. Quae enim ad priorem classem pertinent, ea, quum nullius esse, si per se spectentur, pretii intelligantur, sed eatenus demum ullo loco ponenda, quatenus idonea visa fuerint media ad promovendos rationis fines, hoc modulo aestimare debebimus, ita vero tractare, ut nobis subjiciamus, nostra reddamus, in rationis igitur ditionem indirecto modo redigamus et ad externam, cujus tantum capacia sunt, adducamus cum legibus ejus harmoniam. Ita homines quoque versari videmus in agro v. c. colendo, his exstirpandis illis conservandis plantarum generibus, in animalibus partim domandis partim caedendis cet., in quibus omnibus de jure, quo adversus nos gaudeant, nemo cogitaverit, neque vero magis de damnandis, sicubi adhibitae fuerint, fallaciis. At alia res est de entibus ratione praeditis, quatenus sunt talia. Ea enim quum internae cum legibus ethicis harmoniae non minus sint quam nos capacia, non possumus, quin praestantiam naturae nostra haud inferioris, divini autoris imaginem referentis, in iis quemadmodum in nobis revereamur, eodem ea quo nos gradu voluntate summi numinis collocata esse intelligamus; necesse est igitur, et voluntatis in iis libertatem suspicientes agnoscamus, quae non nostro sit magis, quam nostra illorum arbitrio subjicienda, quam non

nostris instrumenti instar inservire consiliis, sed sua sibi motu proprio eligere oporteat, et intellectum, qui sive magis sit excultus sive minus quam noster, veris tamen, quatenus sint ad regendam voluntatem necessaria, admittendis natus atque aptus, falsa non minus quam noster respuat. Ex hac autem animi affectione, sive venerationem naturae rationabilis sive respectum praestantiae atque dignitatis humanae sive quo alio nomine appellare placuerit, quae vero, nisi eam data opera evellere aggressi fuerimus, exsistat necesse est atque renascatur, quoties in ens aliquod ratione praeditum inciderimus; ex hac, inquam, animi affectione fit, ut cum entibus rationabilibus nova quaedam oriatur relatio, non in qua altera pars sit mere passiva, sed quae mutua sit ac reciproca: ut jura iis tribuere cogamur. Poterunt autem nostra circa haec jura officia revocari ad duo universaliora praecepta, quorum prius est, ut, quomodocunque in aliorum efficaciam influere conemur, id ita tamen semper fiat, ut, quae inde oriantur actiones, eorum sint scientium atque volentium, non nostrae, iis veluti instrumentis utentium; posterius, ut, quod nobis vindicemus in entia rationis expertia imperium, ejus ii eadem qua nos causa pro rata habeantur participes, quae igitur sint ab iis occupata, ea ne tanquam vacua arripere velimus. — Hinc quomodo

deduci queant singula aliorum jura, singulae nostrae eo respectu obligationes, non hujus loci est ut exponatur, eo enim jam perventum est, ut earum fallaciarum turpitudinem, quae in commercio hominum ratione utentium adhibeantur, monstrare valeamus. — Etenim, quoniam aliis jura tribuere cogimur, quia eorum revereri debemus nostra haud inferiorem dignitatem atque praestantiam, hujus autem reverentiae ea est causa, quod rationabilis naturae consortes sunt, igitur, si quis non ita fuerit erga eos affectus aut non ita se gesserit, quemadmodum eum ostendimus debere, is hac ipsa re homines sibi pares eodem loco habere deprehendetur, quo entia rationis atque juris expertia. Ea est autem longe gravissima atque atrocissima juris violatio, si, qui juris sunt compotes, personae igitur gaudent dignitate, eos rerum instar aut brutorum juris expertium habere atque tractare aggressi fuerimus. Quae res usu venit in fallendo. Quem enim fallere studeo, eum, quocunque id demum fiat consilio, non aliter a me aestimari necesse est (quippe qui non aliter in eum consulam), ac si intellectus atque libertatis expers mihi in tutelam traditus sit, meo arbitrio, quasi qui proprio non gaudeat aut non gaudere debeat, commissus, quo igitur ad persequenda, quae mihi sese probaverint, consilia non minus et inscio uti liceat et nolente, quam vel equo utar ad iter confi-

ciendum, sive illuc eum impetus tulerit sive alio, vel gladio ad vulnerandum, quemcunque ego petendum esse duxerim *n*). Quoniam vero, quae a fallente contemtui habetur, aliorum dignitas atque praestantia posita est, ut vidimus, in facultate legibus ethicis sponte atque cum libertate obediendi, in ea autem suas intellectus, suas voluntatis arbitrium tuetur partes, hinc fit, ut in fallendis ratione utentibus utriusque non possit non inesse despicientia. Verissime igitur Süskind, qui intellectus praecipue excellentiam ejusque contentionem urgendam sibi putavit: Wenn ich ihm (dem vernünftigen Menschen) nun

n) Baumgarten-Crusius Lehrbuch der chr. Sittenlehre § 64: als Pflicht gegen die Menschen genommen ist die Wahrhaftigkeit eine Aeufserung der Achtung in zwiefacher Bedeutung. Man sieht in ihr die Andern als fähig und als würdig an unser würkliches, volles Sein u. Wissen zu empfangen, und man behandelt sie in ihr nicht als Werkzeuge des Eigenwillens sondern als selbständige Wesen, welche mit gleichem Rechte gegen uns, wie wir gegen sie stehen. Denn, sogar oft ohne es selbst zu wissen u. zu wollen, liegt in jeder Unwahrhaftigkeit ein Sinn Andere zu bethören und zu misbrauchen. Vogel Lehrbuch der chr. Moral § 196: Die Verpflichtung zur Wahrhaftigkeit in diesem Sinne (ↄ: nicht nur in der Rede sondern auch in Handlungen aller Art) gründet sich — auf die Achtung gegen die Vernunft der Andern, welche durch die Lüge nicht als Selbstzweck sondern blofs als Mittel für den Lügner gebraucht werden.

wissentlich eine Unwahrheit sage, so behandle ich ihn als ein nichtvernünftiges Wesen, so behandle ich ihn auf einer Art, die derjenigen, auf welche er als vernünftiges Wesen Anspruch machen kann, geradezu widerspricht; ich behandle ihn als ein unmündiges, nicht-persönliches und nicht-freyes, der Bestimmung und Leitung durch die Vorstellungen, durch welche ein vernünftiges Wesen geleitet und bestimmt werden soll, unfähiges, und hingegen der Bestimmung durch die diesen gerade widersprechenden falschen Vorstellungen bedürftiges Wesen; ich würdige ihn herab, ich respectire die Würde der Vernunft in ihm nicht, — ich behandle ihn als ein Wesen, welches durch das contradictorische Gegentheil von dem, wodurch vernünftige Wesen bestimmt werden, welches durch Vorstellungen, die nicht nur nicht aus der Vernunft geschöpft sind, sondern denen die Vernunft und das vernünftige Wesen als solches widerstreitet und sie verwirft, nehmlich durch Unwahrheit, bestimmt werden müsse, und mithin als ein unvernünftiges Wesen *o*). — Idem vero valere, si ad libertatis praecipue respiciamus contemtionem, facili intelligitur opera. Etenim, quum sibi a volentibus obediri summum numen voluerit, ideo-

---

o) Süskind über die Gränzen der Pflicht u. s. w. pag. 47 et 48.

que eam mortalibus indiderit in finibus eligendis libertatem, quae nulla vi in servitutem redigi queat, quid cogitari potest indignius, quid in eos, qui hac libertate gaudent, magis injurium, quam ut eam nostro tamen furtim subjicere studeamus imperio, jugum inscientibus imponere conemur, quod scientes et ferre recusent et debeant recusare? Jungenda utraque argumentatio: contemnimus eorum, quos fallimus, et intellectum et libertatem, quippe qui universam naturae rationabilis, in iis sese exserentis, per ea verae honestatis capacis, praestantiam atque dignitatem contemtui habeamns. Est autem manifestum, illam maculam non ea re deleri, quod eorum, quos fallere aggrediamur, utilitati atque saluti velimus consultum: etenim non ideo tamen id volumus, quia iis, verum quia nobis ita visum, entium autem rationabilium majestas non minus laeditur, si ad sua forte commoda augenda ducantur nescii atque nolentes, quam si caeteris nostris inserviant consiliis. Hinc fit, ut, sicuti nemo sit, quin falli nolit, ita indignentur quoque omnes bene morati, si sese ab aliis in errorem inductos esse intellexerint, quamvis maxima inde ipsis accesserint emolumenta: sin qui minus sunt in ejusmodi casibus religiosi, non potest id tamen ex antea dictis aliunde explicari, quam quod de vera sua dignitate parum sollicití, quicquid utile videatur, nimis avide

sequantur *p*). — Concludimus igitur ex hactenus disputatis, turpes esse, quaecunque adversus alios ratione utentes adhibeantur fallaciae, quoniam oriantur necesse sit ex animi affectione ei omnino contraria, quam a nobis exigat naturae eorum praestantia.

Ante vero, quam ad eam quaestionem nos convertamus solvendam, quae adhucdum est reliqua, utrum in omnibus omnino hominibus agnoscere cogamur vivam ac praesentem rationem, an sint et quinam sint, quos non possimus quin ratione certe ad tempus destitutos judicemus ideoque non eodem cum ratione utentibus loco habeamus, liceat paucis commemorare argumentum, quod cum hoc nostro arctissime cohaeret. Fichte enim, quum intellige-

---

p) Cfr. Süskind über die Gränzen u. s. w. pag. 49. Böhme über die Moralität der Nothlüge (1828) p. 13: Unvermeidlich wird auch die wohlgemeinteste Nothlüge aus Freundes Munde, wenn sie als Lüge, was sie ist, erkannt wird, Trotz aller dabei obwaltenden Wohlgemeintheit, keinen angenehmen Eindruck auf den dadurch Getäuschten machen, und die Achtung und das Zutrauen gegen einen solchen Freund wird sie unausbleiblich mehr oder weniger schwächen. J. F. v. Flatt Vorlesungen über chr. Moral pag. 518: Jeder, der die Entdeckung macht, er sey von einem Andern, wenn gleich nicht in schlimmer Absicht, belogen worden, kann sich eines gewissen moralischen Unwillens darüber nicht enthalten.

ret, quicunque falleret, eum, quantum in ipso esset, efficere, ut ex aliorum actionibus aliud quid sequeretur, quam quod sequi vellent, ut eorum igitur libertas externa non minus, quam si id vi fieret, ipsi obnoxia redderetur, ex hac libertatis laesione fallendi turpitudinem monstrare aggressus, ita est argumentatus: Der zweite Theil der formalen Freiheit, welche wir zufolge des Sittengesetzes in dem andern schonen und befördern sollen, besteht in seinem freien, d. i. lediglich durch seinen Begriff bestimmten, Einflusse auf die Sinnenwelt. Es soll aus seiner Wirkung folgen, was er sich dabei dachte, denn nur unter dieser Bedingung ist er frei. — Ich muſs das Bedingte wollen, die freie Kausalität meiner Mitmenschen in der Sinnenwelt: ich muſs sonach auch die Bedingung wollen: daſs er eine richtige für seine Art der Kausalität hinlängliche Erkenntniss von derselben habe. Diese Richtigkeit seiner practischen Kenntniſs muſs mir Zweck seyn gerade so, in dem Maaſse und aus dem Grunde, aus welchem die Richtigkeit meiner eigenen mir Zweck ist. Diese Disposition des Sittengesetzes negativ gedacht, geht aus ihr das Verbot hervor, den andern absolut nicht zum Irrthume zu verleiten, ihn nicht zu belügen noch zu betrügen, weder geradezu, indem ich categorisch behaupte, was ich selbst nicht für wahr halte, noch durch Umschweiſſe,

indem ich ihm zweideutigen Bericht abstatte, durch den er meiner Absicht nach getäuscht werden soll q). — Est autem tenendum, non aliam ob causam nostri esse officii, ut externam aliorum libertatem laedere aut circumscribere nolimus, quam quia (ut supra monstravimus) ex respectu majestati entium rationabilium debito sequatur, iiscum nobis esse dividendum in ratione carentia imperium et, quicquid nobis in ista sumserimus juris, id aliis quoque esse tribuendum. Potest igitur ac debet ex eodem fonte hauriri ratio, cur fallere et cur externam aliorum libertatem laedere vetemur, nostraque ea re tantum a Fichtii differt argumentatio, quod ille indirecto modo atque per circuitum monstrandam sibi sumsit fallaciarum in commercio ratione utentium turpitudinem, nos ad principium adscendere maluimus, unde, quaecunque jura aliis competunt, deducenda sunt, ad reverentiam ratione utentium qua talium.

§ 14.

Venimus nunc ad quaestionem modo commemoratam, sitne in omnibus hominibus agnoscenda viva atque praesens ratio, necne. Hic autem non possumus, quin a Fichtio disceda-

---

q) Fichte System der Sittenlehre pag. 379 et 380.

mus, quippe qui libertatis illam laesionem cunctis fallaciis inhaerere statuat: nam id quidem est sole clarius, accidere, ubi libertatem aliorum circumscribere eosque vel vi adhibita, quin cum vitae eorum periculo, coërcere et licitum sit et honestum. Qui quum in ejusmodi casibus destituantur necesse sit jure libertatis externae, illo autem jure eatenus gaudeant, quatenus ratione utantur, hinc sponte deducimur ad quaestionem nostram ita solvendam, ut concedamus, esse entia rationis facultate instructa, in quibus tamen vel nondum vel non amplius vivam atque praesentem agnoscere et revereri possimus rationem; adversus haec igitur (quoniam sublata causa tollitur etiam effectus) nihil impedimento esse, quominus quemadmodum aliis mediis ita etiam fallaciis, si quando opus fuerit, utamur *r*).

---

r) Süskind in libro cit. pag. 52: Die Vernunft kann nur da, wo sie ist, geachtet, in Wesen, bei welchen sie nicht ist, kann ihre Würde auch nicht respectirt werden. Dafs aber Vernunft da sey, erkennen wir nur aus den Aeufserungen und dem Gebrauch derselben; wo es an diesen bei einem Wesen, das vormals den Vernunftgebrauch hatte, oder bei welchem er nach andern Indicien zu urtheilen in Zukunft zu erwarten ist, fehlt, da ist für uns wenigstens für jetzt keine Vernunft vorhanden, mithin auch keine Verpflichtung, dieses Wesen als ein wirklich vernünftiges zu achten und zu behandeln cet.

Reliquum est, ut paucis ostendamus, quinam sint homines, in quibus vivam ac praesentem non possimus agnoscere rationem, quibus igitur neque respectum praestantiae atque dignitatis, quippe qua eo saltem tempore non gaudeant, neque sinceritatem debeamus. Eorum autem classes praeter unam paulo difficiliorem sponte sese offerunt. Primum enim huc referendos esse per se clarum est partim veri nominis infantes, in quibus nondum excitata sit ratio, partim adultos, vel subita quadam morbi gravioris vi delirantes vel per longius temporis spatium mente captos. Circa utrosque vero monendum, ut, quoniam eos non nisi hanc ob causam fallere liceat, quod sint et quamdiu sint rationis usu destituti, summam adhibeamus in hoc judicio ferendo (quae res haud parvam habet difficultatem) cautionem. Caeterum, ubi aut quando ejusmodi homines fallere expediat, non ethicis constituitur regulis, est autem partim ex medicorum atque paedagogorum disciplinis petendum, partim singulorum hominum prudentiae relinquendum. — Deinde vero, quoniam in eo ponenda sit praestantia entis rationabilis, quod internae et spontaneae capax sit cum legibus ethicis harmoniae, igitur, quemcunque scelus aliquod suscepisse non suspicemur verum ita sciamus, ut in eo patrando versantem deprehenderimus, cum non poterimus quin prae-

stantiae entis rationabilis hoc saltem momento expertem judicemus, unde sequitur, licere, ut sicuti vi aperta ita fallaciis consummationem facinoris impediamus eaque re efficiamus, ut, quoniam internus cum lege divina consensus desideretur, externus quamvis illo nolente conservetur. — Tertia classis est hostium publicorum, in quibus res est paulo obscurior, quoniam nullum est quidem dubium, quin possit fieri, ut homines integra conscientia arma adversus nos patriamque nostram ferant, est vero etiam manifestum, quibus jure nostro armati resistamus, vim igitur illaturi quin vitam erepturi simus, de iis non fieri posse quin idem, quod de iis, qui secunda classe continentur, statuerimus. Ut solvatur haec difficultas, tenendum est, militem hostilem duplicem gerere personam, alteram suam ipsius, alteram a civitate, pro qua pugnat, ipsi impositam; unde fiat, ut hominem nobis vel tanquam probum atque honestum cognitum vel omnino incognitum, tamen, quatenus instrumentum se praebeat injuriae inferendae, tanquam turpia molientem spectare liceat, quem igitur, si nostrum sit, ut injuriam repellamus, et vi aperta coërcere et fallaciarum ope circumvenire liceat. Quodsi quis objiciat, in bello igitur injusto non licere fallacias, respondeo, ne vim quidem licere, h. e. injustum bellum non esse neque suscipiendum neque gerendum; verum id non esse

judicii militum saepe ne imperatoris quidem; iis, nisi forte rem aliter sese habere certo sciant, justum esse bellum, in quo igitur et vi uti liceat et fallaciis, quodcunque patria jusserit. Haec hactenus.

Licet vero hisce constitutis absolutus sit universus de fallaciis locus, quatenus influat in ethicam mendacii aestimationem, non possumus tamen, quin ea artificia verbo commemoremus, quae mutuo consensu adhiberi solent in quibusdam ludorum generibus. Quae quidem non veri nominis esse fallaciae facili intelliguntur opera, etenim in iis non id agitur, ut quisquam in errorem inducatur, verum ut homines, bene gnari, non esse credendum, quicquid de certa quadam re quisque significaverit, cum animi quadam delectatione ita exerceantur, ut, quae sciant, ea in promptu habere et in usum convertere animoque intento esse discant; unde etiam fieri videmus, ut, si quis falsus fuerit, is aut ipsius ludi natura aut collusorum opera mox ab errore revocetur. Sin quis ita in ejusmodi versetur ludorum generibus, ut non tam aliis operam praebere velit in tentando atque exercendo ingenii vel acumine vel celeritate, quam falsa quaedam iis persuadere gestiat et inde suam quaerat delectationem, sunt eae quidem veri nominis fallaciae, at eaedem quoque, quamquam alia est opinio vulgaris, graviter improbandae.

Restat, ut moneamus, cur in hoc de fallaciis loco paulo copiosiores fuerimus, ejus rei duplicem esse causam, priorem, quod permulti eorum, qui de mendacio scripserunt, in voluntate fallendi omnem ejus turpitudinem quaerentes hìc fuerint commemorandi, quum e contrario in sequentibus, ubi sermo erit de notis a plerisque in notione certe in turpitudine mentiendi constituenda neglectis *s*), vix unus aut alter sit nominandus, posteriorem, quod permagni sit in mendacio ethice dijudicando momenti, quid de fallendo statuamus, qua re expedita caetera facillime fluant.

§ 15.

Absoluta de fallaciis ethice aestimandis quaestione, jam nobis erit ex proposito transeundum ad considerandum de caeteris notis, quibus ab universo fallendi genere mendacium distingui supra monstravimus, unde intelligere nobis contingat, sitne idem de mentiendo quod de fallendo judicium ferendum, an, quamvis genus sit, ut vidimus, ethice indefinitum, haec tamen species propria forte maculetur turpitudine.

---

s) Cfr. § 3 fin.

Duae igitur oriuntur, quae est a nobis inventa mendacii notio, quaestiones, etenim priore loco videndum erit, numquid sit rationis, cur in cogitatis cum aliis communicandis (h. e. sermone, quemadmodum hujus vocis exposuimus significationem) minus liceat quam alio quocunque modo eos in errorem inducere, quibuscum res sit nobis; deinde vero id in quaestionem venire debebit, lateatne quid turpitudinis in enuntiatione subjective falsa, qualem ad mendacium requiri intelleximus, necne. — De his igitur solvendis quaestionibus eodem, quo sunt a nobis ordine propositae, videamus.

Ut autem solido insistere possimus, dum priorem illam solvere aggrediamur, fundamento, paulo altius opus erit rem repetamus paucisque ostendamus, quaenam sit sermonis sive facultatis cogitata nostra cum aliis communicandi natura atque praestantia. Primum igitur tenendum est, "sermonem solis hominibus competere, qua(tenus) bestiis contradistinguantur et ratione utantur" *t*), h. e. adeo conjunctum esse sermonem cum ea re, qua nihil est in nobis praestantius, cum rationabilitate naturae, ut

---

t) Chr. Thomasii Institution. Jurisprudentiae divinae L. II. c. 8. § 7. cfratur etiam l. I. c. 4. § 52.

inde sponte veluti efflorescere videatur, quum e contrario, quaecunque entia rationis expertia sint, ea sermonis quoque non sint solum verum non possint non esse expertia. Quodsi quis forte vulgari illa, quae est sine dubio nimis arcta, sermonis significatione, ex qua non nisi de vocis articulatae signis adhibetur, abreptus, in rebus physicis in linguae labiorumve structura latere statuat rationem, cur prae ceteris animantibus homines sermonis usu gaudeant *u*), non in rationabilitate naturae: is secum reputet velim, quamquam nemo facile infitias ierit, quod sumus quoque in antecedentibus largiti, longe frequentissimum esse in cogitatis cum aliis communicandis vocis ac verborum ore prolatorum usum, esse tamen non minus manifestum partim, eos homines, quibus hunc vocis usum natura negaverit, aliorum quorundam signorum ope cogitata sua indicare (cujus rei supra attulimus exempla), neque vero quicquam impedire quominus cum de Wettio aliisque concedamus, etiamsi omnes homines surdi nascerentur mutique, cogitatorum tamen inter eos per alia quae-

---

u) Ab hac parte praecipue ac nescio an unice hanc rem spectarunt Nic. Abram de mendac. l. II. c. 6. § 56. Puffendorf de Jure N. et G. l. IV. c. 1. § 1. Herder Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit (Riga u. Leipz. 1784. 4.) 1 Th. pag. 219 - 225.

dam signa institutum iri commercium ν), partim, non deesse inter caetera quoque animantia, quibus articulatam vocem natura tribuerit, eorum autem, etiamsi vel meliore, pleniore, distinctiore voce uti fingantur quam homines, nullum tamen fore, siquidem ratione destituantur, sermonem. Quae quum ita sint, patet, quamvis signa esse possint magis minusve commoda, hujusque rei haud parvum sit ad facilitatem et difficultatem sermonis momentum, at summam tamen rei in eo esse positam, ut rationabilia sint ea entia, inter quae sermonis commercium debeat obtinere, unde fiat, ut, si entia fingamus in caeteris omnibus paria hominibus at ratione destituta, nullus eorum futurus sit magis quam caeterorum animalium sermo, quamvis huic rei aptissima signa praebeat vocis humanae natura, jam vero, quoniam homines sint ratione praediti, vel inter eos sermonis commercium obtineat, quibus sit ad signa parum commoda vultus atque digitorum confugiendum.

ν) de Wette chr. Sittenlehre 3 Th. § 448 in.: ein eigentlicher Verkehr kann nur durch die Sprache gelingen, u. wenn ihnen (den Menschen) auch nur eine Zeichensprache zu Gebote steht, so werden sie doch dadurch einander ihre Absichten u. Gesinnungen zu erkennen geben.

Licet autem ex hacce jam appareat de natura sermonis consideratione, quanti sit aestimanda facultas cogitata nostra cum aliis communicandi, quippe quae ex rationabili nostra natura veluti ex arbore pulcherrima suavissimi fructus instar proveniat: at est tamen alia observatio, per quam non illustretur solum clarius hujus facultatis praestantia, sed perspiciatur quoque distinctius, quonam sit loco ponenda in enumeratione atque aestimatione eorum bonorum, in quibus cum naturae humanae perfectionem tum vero omnium ac singulorum hominum felicitatem summum numen positam esse voluit. Etenim, si quis voluerit in hanc rem diligentius inspicere, mutuam esse intelliget eam, quae sermoni cum rationabilitate intercedat, relationem, ut igitur, sicuti rationabilitas naturae humanae necessariam constituat sermonis conditionem, qua sublata sermo quoque tollatur necesse sit, ita ab altera parte non possint absque sermonis commercio pullulare atque efflorescere, quae singulis hominibus ingenita sunt, rationis veluti germina. Quam rem ut ita sese habere monstrare nobis contingat, tenendum erit, illum nexum, quo singulorum hominum rationabilitatem a facultate cogitata cum aliis communicandi pendere docuimus, duobus membris contineri, quorum prius hoc sit, absque sermone nullam aut esse aut esse posse hominum, in quantum

rationabiles sint, communionem, posterius vero, ea demum lege rationabilitatem, quae quod ad potentiam omnibus competat, ad effectum adduci posse, si communione aliorum rationabilium fruantur. De utroque paucis disserendum. Et priorem quidem quod attinet propositionem, non ita intelligi volumus, ac si statuamus, nullam absque sermone aut oriri posse aut conservari inter homines societatis speciem, nullum convictum, nullum in utilitate quadam vel singulorum vel omnium promovenda mutuum adjutorium; est etenim manifestum, haec omnia vel inter brutorum quaedam genera obtinere, neque vero quicquam est, si quid video, impedimento, quominus eadem inter homines quoque sine ulla sermonis ope possint existere. Sed, quod intelligimus, hoc est: quaecunque sint in societate humana, quibus inter ista caeterorum animantium examina excellat, vitae rationabilis vestigia simul, simul adjumenta, ea omnia et sermone interveniente nata esse atque florere et, si eum sustuleris, e vestigio esse interitura. Nasci autem ista omnia atque florere interveniente sermone, est id quidem ita manifestum, ut non egeat demonstratione, ne tamen hunc locum omnino praeteriisse videamur, apponere liceat laudationem facultatis cogitata nostra cum aliis communicandi huc pertinentem, ab eo scriptore exhibitam, qui recentissima memoria do-

ctrinam de mendacio sibi sumsit illustrandam, Adolpho Naebe. Ille igitur: „hac, inquit, utitur mater, ut infanti primum instillet amorem, hac praeceptores, ut disciputi humana et divina cogitare et judicare discant, hac artifices, ut artes propagentur et emendentur, hac doctores religionis, ut discipulos rerum divinarum cognitione imbuant, hac scriptores, ut multa scitu necessaria aliis exhibeant: ut paucis dicamus, loquela est, quae arctiore vinculo homines conjungit, vitam domesticam et civilem, intellectualem, moralem, religiosam excitat, alit, auget atque emendat, qua et ea, quae antiquissimis et quae recentissimis temporibus cogitarunt, senserunt et experti sunt mortales, ad posteritatem vel remotissimam propagentur, ut quod verum, justum, honestum ac fas est, utile, laudabile ac salutare, cognoscant et appetant, contraria respuant ac fugiant, et hoc modo universum genus humanum vitam suam internam et externam tandem aliquando perficiat" *w*).

---

w) Dissertatio cum de mendacio in genere, tum de eo, quod per necessitatem extortum nominatur, autore Fr. A. A. Naebe (Lipsiae 1829.) pag. 1. Cfratur etiam de Wette chr. Sittenlehre 3 Th. § 448: Aller Verkehr unter den Menschen wird durch die Sprache eingeleitet, fortgesetzt u. geordnet. Die blofse Handlung wird sie augenblicklich von einander abstofsen oder gegenseitig anziehen, aber ein eigentlicher Verkehr kann nur durch

Quod vero diximus, eadem omnia sublato sermone interitura, et omnem communionem hominum, quatenus rationabiles sint, cum eo simul finem habituram, id ne cui confidentius quam verius dictum esse videatur, sententiam nostram ita interpretanti, ac si de quocunque hominum statu, sive his in terris viventium sive perfectiore illa, in quam per mortem est ingrediendum, vita fruentium, intelligi velimus, ante omnia tenendum erit, nihil esse rationis, cur in praestantia sermonis monstranda ad statum rerum futurum necdum nobis cognitum respiciamus, quaecunque igitur de sermonis necessitate dixerimus, ea de tali rerum statu intelligenda esse, qualis his in terris deprehendatur. Quibus constitutis facili opera intelligetur, nullam esse posse hominum, in quantum rationabiles sint, absque sermone commercium, quippe quos manifestum sit, si sermone destituantur, nescituros esse, num sint praeter ipsos aut quaenam sint entia finita ratione praedita; etenim in pectora aliorum inspicere non licet, ex actionibus autem in sensus cadentibus per se spectatis nulla peti

---

die Sprache gelingen. — Ist die Sprache zwischen den Menschen eingeführt, so ist das Band, das sie verknüpft, das Mittel sich zu berühren, einander gegenseitig zu bestimmen, zu leiten u. auf einander einzuwirken gefunden.

poterunt rationis indicia, quoniam quae prudentissimae judicandae forent, sapientissimae, honestissimae, si rationabilium esse constaret, eae brutorum quoque, caecis naturae instinctibus motorum, esse possint. Quae quum ita se habeant, pro certa uti licebit propositione nostra priore, qua sermonem necessariam esse docuimus communionis hominum, quatenus rationabiles sint, conditionem. Posteriorem vero non opus erit ut multis probare aggrediamur, vix enim quemquam fugiet (puto), quanta sit communionis cum aliis rationabilibus in excitanda ratione necessitas, quanta efficacia. Neque enim ratione utentes nascimur sed rationis tantum facultate instructi, sicuti autem infantes quotidie observare licet, dum sermonem aliorum intelligere eoque ipsi uti discant, h. e. dum commercii rationabilium reddantur participes, hac ipsa re ratione uti incipientes; ita vero eosdem exempla docent, si ab aliorum hominum communione remoti aliquot annos transegerint, brutorum nullo respectu excellere conditioni a). Restat, ut ad eam doctrinam, quam his propositionibus superstructam volumus, reduces convertamur, etenim, quicunque de iis nobis concesserit, is

---

a) Cfr. Chr. Thomasii institut. Jurisprudentiae divinae l. I. c. 4. §53.

non poterit non concedere, facultatem cogitata nostra cum aliis communicandi esse conditionem, sine qua non possint initia rationis nobis insita aut excitari aut excoli, non possit igitur, ut, omissis, quae relativo tantum pretio gaudeant, summum omnium nominemus, neque intellectus ad veri bonique cognitionem pervenire, neque voluntas humana ad liberam atque spontaneam voluntatis divinae obedientiam, honestatis amorem, turpitudinis fugam evehi. — Haec igitur vera et genuina est sermonis praestantia, quam si, instituta cum aliis naturae humanae bonis comparatione, aestimare voluerimus, manifestum erit, sermonem esse conditionem rationabilitatis omniumque eorum, quae absque rationabilitate generis humani atque singulorum hominum esse non possint, proximum igitur ab ipsa rationabilitate in bonorum aestimatione locum obtinere. Quoniam autem absolutum est pretium rationabilitatis, h. e. cognitionis, quae voluntati ad optima quaeque dux esse possit, et voluntatis, quae honestatem, pietatem, sanctitatem unice sequatur: efficitur, sermonem obtinere secundum inter omnia bona locum, eum igitur et hoc modulo esse nobis aestimandum et, quantum ejus fieri possit, fovendum atque tuendum, unde fiat, ut, si qua nostra sit in hanc rem efficacia, sermonis communionem neque evertere neque debilitare velimus, nisi forte ratio-

nabilitati directo modo (unmittelbar) promovendae ea res inserviat.

§ 16.

Ex hactenus disputatis patet, si ejusmodi deprehensa fuerit sermonis natura, ut, si ullum unquam honestum judicaverint homines aut licitum in cogitatis cum aliis communicandis fallendi exemplum, ea res sermonis usum destructura sit, communionem igitur hominum quà rationabilium, quae est, ut vidimus, necessaria conditio vitae intellectualis atque moralis perficiendae, funditus sit eversura, patet, inquam, nullam vel utilitatis vel honestatis speciem efficere debere, ut ullam ejusmodi fallaciam turpitudine carere concedamus. Nam id quidem est per se clarum, fieri non posse, ut praeceptum de promovenda rationabilitate tum nostra tum aliorum cum illo unquam conflictetur praecepto, quo plane necessariam hujus rationabilitatis conditionem subvertere vetamur. Neque vero ita pauci inventi sunt, qui, ut hoc argumento mentiendi turpitudinem probare liceret, monstrandum sibi sumserint, nullum omnino fore sermonis usum, si vel paucissima, imo si unum licitum judicaveris sermone fallendi exemplum, quique hujus rei ad internecionem fidei, socie-

tatis, omnium denique, quae ex sermone proficiscuntur, bonorum vim atque efficaciam gravissimis depinxerint verbis. "Ponamus, inquit Naebe, legem verum loquendi uno in loco violari, etiam nullo detrimento hominibus externo illato: quid hac una exceptione efficietur? Justitia, quae vitam hominum regit, necessario paulatim evanescit, publica fides perit vel dubia redditur, omnia vincula, quibus vita domestica, civilis, ecclesiastica continetur, rumpuntur: omnia promissa, omnia pacta, omnia juramenta incerta ac irrita fiunt: timor animos hominum perpetuo invadit, ne hic illeve, quocum sermones habeas, pacta compingas, negotia tractes, mendacio fallat: tunc piis artibus ac fraudibus aditus iterum patet: tunc parentes decipiunt liberos, liberi parentes, uxores maritos, fratres fratres, amici amicos, mercatores emtores, cives cives et principes subditos. Quis modus ac terminus tunc statui possit, quum quisque sibi persuadeat, licitum esse nunc haec nunc illa mala a se, a suis aliisque — mendacio defendere eorumque saluti prospicere? Qua re justitia, fides, vitae jucunditates pereunt, vita humana tristissimam induit formam, ita ut non amplius vita, sed mendacium esse videatur" *y*). Fatemur autem, quamvis hoc argumentum plus habeat, si adver-

---

y) Dissertatio cum de mendacio in genere tum etc. pag. 9. Pictet la morale chrétienne l. VI. c. 13. pag. 261.

sus sermonis tantum fallacias adhibeatur, speciei, quam si adversus universum fallendi genus, quod a quibusdam fieri supra monstravimus, non posse nos tamen, quin eos quoque nimium sibi sumere statuamus. Neque tamen opus esse existimamus, ut, refutatis singulis, quibus hanc suam sententiam commendant, rationibus, nostram tueamur, quippe quum nullae aliae sint eorum rationes, quam quae sunt a nobis in loco de fallaciis refutatae, ea una re accedente, quod, si sermone quoque interdum fallere liceat, nullum amplius relinquatur, quod veracitati unice dicatum sit, significandi genus, in quo certo scire liceat, eos, quibuscum res sit nobis, aut non fallere aut turpiter facere; hujus autem rei non tantam esse vim, ut totum causae statum mutare valeat, vel inde intelligere licet, quod, quamquam plerique adhucdum nonnulla mendacia licita esse opinentur, fuerint vero tempora, quum universis gentibus haec opinio probaretur, maneat tamen atque floreat sermonis commercium.

Est autem diligenter tenendum, quamvis, si unum vel pauca quaedam sermone fallendi exempla licita judicentur, ea res interitum sermonis haudquaquam sit allatura *z*), at mutuam

---

z) Si mendaciis pro lubitu, nullis terminis positis, uti licuerit, sermonis usum sublatum iri, nemo est, quin vi-

tamen fidem, ejusmodi exceptionibus admissis, minui, sermonis igitur in promovenda rationabilitate vim et efficaciam debilitari atque impediri. Etenim, si concedendum est, — vidimus autem id esse concedendum *a*), — fore, ut minuatur fides, si constiterit, nonnunquam licere ut fallaciis utamur, idem in ejusmodi fallaciis usu veniat necesse est, quae circa cogitata nostra cum aliis communicanda versantur, idque eo magis, quoniam non nisi sermone significare licet, quaenam mendacia honesta judicemus, quaenam turpia, interdum autem dubium esse potest, utrum in hac re indicanda veraces esse velimus, an hic quoque fallacias et statuamus licere et adhibeamus. Hujus autem diffidentiae quanta sit vis in salutari illa sermonis efficacia impedienda atque debilitanda, vel inde intelligere licet, quod teste experientia cum gravitate eorum, quae traduntur, dubia crescere

---

deat, at inde non aliud efficitur, quam non omnia mendacia licere, id autem dudum nobis constat, quippe quum, ubi illicitum sit fallere, ibi turpitudinem non ea re minui, quod sermone fallas, per se clarum sit. Quantum autem intersit, utrum omnia promiscue mendacia licere statuantur, an paucissima quaedam mentiendi exempla, parum accurate observasse videntur veracitatis patroni modo excitati.

a) Cfr. § 9. pag. 74.

solent, hominesque, nisi qua libidine aut animi perturbatione abripiuntur, eo solent esse in credendo cautiores, quo majoris momenti sunt ea, quae credenda proponuntur: unde fit, ut possint quidem, quamvis alter alterius veracitati parum confidat, sermone opitulante transigere permulta illa, quae non magni momenti sunt, vitae communis negotia, elementis autem religiosis atque ethicis a parentibus imbui, penitiore rerum divinarum atque humanarum cognitione a magistris initiari, aliorum monitionibus corrigi, consiliis flecti, solatio erigi (in quibus omnibus praecipua latent rationabilitatis promovendae auxilia), nisi iis tanquam veracibus fidem habeant, quamvis floreat adhucdum in istis vitae communis negotiis sermonis commercium, aut admodum difficulter atque imperfecte aut omnino non possint *b*). Quae quum ita se ha-

---

b) Cfr. Petrus Martyr Vermilius in Locis Commun. (Genevae 1624. fol.) Class. II. c. 13. n. 28: "mentiendo quisque sibi ipsi autoritatem abrogat — quare nec, etiamsi voluerit, monitione aut correctione licebit ei juvare proximos." Joannes Gerhard in Locis theologicis (ed. Cotta. Tübingen 1766.) loc. XIII. §176: "hoc insuper vitium habent (mendacia officiosa), ut, qui talibus mendaciorum generibus utitur, autoritatem sibi abroget, ut postea non possit cum fructu admonere, arguere aut consilium dare, audientes enim existimabunt, ipsum officiose mentiri, ut ipsos in viam revocet, non

beant, concludimus, quicunque in certis quibusdam casibus vel sermone fallat vel fallendum esse statuat, eum tali regulae subjectivae (Maxime) adstipulari, quae tum per se spectata tum vero, si universo humano generi communis fingatur, non possit non impedire atque debilitare sermonis in rationabilitate promovenda efficaciam *c*).

---

quasi revera res ita se habeat." Quorum uterque subobscure innuere videtur, quod nos disertis verbis tradendum putavimus, quo quis sermonis usus propius cohaereat cum rationabilitate promovenda, eo perniciosiorem ei fore vel levissimam diffidentiae umbram.

c) Nequis forte objiciat, certos quosdam homines v. c. mente captos ita esse a cetero humano genere disjunctos, ut, etiamsi in cogitatis c u m i i s communicandis fallaciis utamur, non ideo tamen oriri debeat inter alios, quam diximus, diffidentia, neque igitur sermonis in rationabilitate generis humani promovenda usus debilitari: observetur velimus, primum in his ipsis tamen hominibus oriri debere hanc diffidentiam, eamque, etiamsi nullius sit, dum rationis usu destituantur momenti, at, si quando mentis facti fuerint compotes, nostra igitur aliorumque ope in iis quoque sermone interveniente promovenda fuerit rationabilitas, huic rei futuram esse impedimento, quoniam nisi ex nobis intelligere nequeant, utrum ipsos veracitate dignos habeamus, necne; deinde vero ad alios quoque non posse non pervenire quaedam dubia sermonis usum debilitatura, quemadmodum multos a catholicorum adversus haereticos perfidia metuisse constet, non quasi sese ipsi haereticos esse putarent, sed quia fieri posset, ut ab aliis tales judicarentur.

Hinc porro, si respiciuntur, quae de fallaciis ethice aestimandis sunt a nobis tradita, sequitur, ubi fallere non liceat, ibi multo magis improbandas esse sermonis fallacias, quippe quae non solum communi illa labe maculentur ex laesa naturae rationabilis majestate, verum id secum ferant propriae turpitudinis, quod sermonis usum, rationabilitatis in hominibus conditionem, impediant atque debilitent; ubi vero fallaciis uti liceat, ibi sermonis tamen fallacias ita demum turpitudine carere, si forte rationabilitati directo modo promovendae inserviant; etenim hac demum lege, ut paullo ante monstravimus, committere licebit, quod sermonis communioni sit nociturum, si rationabilitas, summum illud atque absolutum humani generis bonum, unde sermonis quoque pendeat quamvis maximum at relativum tamen pretium, ea re directo modo potuerit juvari atque promoveri. Restat, ut videamus, num quando fieri possit, ut ad rationabilitatem vel nostram vel aliorum directe juvandam atque provehendam efficaces sint sermonis fallaciae. Id autem nullo pacto fieri posse facili intelligemus opera, sive notionem fallendi sive ea consuluerimus, quae de fallaciis licitis atque illicitis supra docuimus. Ad notionem enim fallendi quod attinet, manifestum est, eam esse ejusmodi, ut, qui fallat, is hac re neque sapientia verique cognitione augeatur

neque honestatis atque virtutis amore, qui fallantur autem, in iis neutrum magis videatur exspectandum, quippe quorum intellectus errore fiat deterior, voluntas eo, quod errore inducti faciant, quod propter justas atque genuinas rationes non fuissent facturi, vix melior reddatur aut honestatis amantior. Egregium est autem ad solvendam de his potissimum quaestionem eorum momentum, quae de fallaciarum ad leges conscientiae relatione supra sunt a nobis disputata. Intelleximus enim, turpes esse, quaecunque adversus alios ratione utentes adhibeantur, fallacias *d*), unde sequitur, earum ope, etiamsi id fieri posse faciamus, non esse aliorum rationabilitatem promovendam; vidimus porro, quos fallere liceat, eos esse, in quibus vivam ac praesentem non agnoscamus rationem, de quorum igitur rationabilitate directo modo promovendo desperaverimus *e*), unde sequitur, non fieri posse, ut rationabilitati directe promovendae licitae inserviant fallaciae: quae quum ita sint, efficitur, neque debere neque vero posse unquam fallendo aliorum rationabilitatem in majus provehi, nullam igitur sermonis fallaciis, de quibus hic proprie quaerimus, in hanc rem competere efficaciam. — Ita igitur sonabit, quod

---

d) § 13. pag. 103.

e) § 14. pag. 106.

supra non nisi hypothetice exponere licuit, universale de sermonis fallaciis judicium, turpes esse, quaecunque in cogitatis cum aliis communicandis versentur fallaciae, quippe quae hanc communionem, quae tuenda sit nobis atque fovenda, sine idonea causa, qualis nulla possit, ut modo monstravimus, existere, impediant atque debilitent; duplici autem turpitudine eas premi, in quibus ipsum fallendi consilium sit improbandum, h. e. quae adversus ratione utentes adhibeantur.

N O T A.

Licet in solvenda priore hacce circa turpitudinem earum notarum, quibus a caeteris fallaciis mendacium distinguitur, quaestione, non fuerint nobis (cujus rei causam supra exposuimus *f*) aliorum hac de re sententiae tractandae, at excipienda tamen erit paucisque commemoranda eorum doctrina, qui pacto quodam tacito homines obstringi censent ad signa arbitraria ita adhibenda, ut aliis inde veram atque genuinam eorum perspicere liceat sententiam *g*).

---

f) § 14. fin. Cfr. § 3 fin.

g) Puffendorf de J. N. et G. l. IV. c. 1. § 5: "Caeterum uti omnia signa, exceptis naturalibus, rem certam notant ex impositione, ita eandem impositionem comitatur tacita quaedam aut expressa conventio, συνθηκη, ὁμολογια et pactum cet. Wolff Philosoph. moralis Part. V. § 543.

Quoniam enim arbitrariae sunt, quaecunque in cogitatis cum aliis communicandis versantur significationes *h*), igitur, si ad nostrum loquendi usum revocata fuerit eorum doctrina, haec erit ejus summa, sermonis fallaciis, si non omnibus (nam de ea re dissentiunt), at plerisque tamen accedere turpitudinem ex pacto quodam tacito, quo veraces esse obligemur, violato. Haec autem doctrina cum ea, quam modo exposuimus, nulla ratione poterit conciliari: etenim, si positivum est, communi consensu introductum, de vitandis sermonis fallaciis praeceptum, nos igitur erravimus, qui ex summo ethico principio necessario sequi statuimus; sin id recte docuimus, non fuit igitur, antequam hoc pacto sese obstrinxissent, hominibus integrum, ut sermone fallerent, neque igitur ex ejusmodi pacto sed ex illo cum summo ethico principio nexu ducenda erit earum fallaciarum turpitudo. Nostram doctrinam in antecedentibus et exposuimus satis et probavimus, ad eorum igitur refutandam vix opus esse videtur, ut accingamur. Liceat tamen monuisse, qui pactum illud tacitum non nominaverint tantum, verum aut commonstrare aut accuratius paulo describere aggressi sint, eos ita inter se dissentientes deprehendi, ut alii

h) § 3. pag. 22.

universale quoddam atque primordium inducant pactum, quod omnem sermonis usum necessario debuerit praecedere *i*), alii, quoties sermone utamur, toties id a nobis tacite promitti doceant, nos nulla fallacia in hac re esse usuros *k*), sint vero etiam, qui nullius momenti esse neque vero accurate constitui posse sentiant, ubi, quando, inter quosnam fiat illud pactum, id unum nobis persuadere conentur, existere aliquam ejusmodi ex mutuo consensu oriundam obligationem *l*): ex hoc etenim dissensu manifesto sequitur, ab illius doctrinae patronis non tacentium tantum sed nescientium quoddam induci pactum; nescientium autem nullum esse pactum, nemo est, quin videat.

---

i) Hugo Grotius de J. B. ac P. l. III. c. 1. § 11.

k) La Placette Traité du mensonge etc. c. 6: Je suis persuadé, que ce, qui produit cet effet, c'est que ce peché viole, non ce pacte primordial, qu'il est plus aisé d'imaginer que de le prouver, mais un pacte nouveau et particulier, qu'on fait avec ceux, à qui on parle, toutes les fois, qu'on leur parle etc.

l) Saurin Nebenabhandlung v. d. Lügen § 5: Es sey nun, daſs dieser Vergleich ausdrücklich oder stillschweigend geschehe, es sey nun, daſs derselbe so alt sey, als das ganze menschliche Geschlecht ist, oder daſs derselbe so oft erneuret werde, so oft man sich der Rede mit dem Nächsten bedienet: so kommt das alles allhier nicht in Betrachtung — das Lügen ist nemlich eine Beleidigung eines solchen Vergleichs cet.

§ 17.

Intelleximus, a sermonis fallaciis turpitudinem non posse sejungi, unde sequitur, cuncta mendacia, quippe quae huic generi subjiciantur, esse turpia: quoniam vero non omnes ejusmodi fallaciae mendacia sunt, sed eae tantum, in quibus inest enuntiatio subjective falsa *m*), quaeri poterit, num ea res cumulatam secum ferat mentiendi prae caeteris, quae in cogitatis cum aliis communicandis versentur, fallaciis turpitudinem. Neque tamen magno opus erit ad hanc quaestionem solvendam apparatu. Primum enim nemo est, quin enuntiationem subjective falsam, per quam neque debeat quisquam ex autoris consilio neque possit in errorem induci, — qualia multa sunt poëtarum commenta *n*), — per se spectatam ne levissima quidem turpitudinis umbra maculari concedat. Deinde vero patet, non magis laedi majestatem entis rationabilis (a cujus laesione pendet, ut supra monstravimus, de fallendi turpitudine judicium), si sermone enuntiativo quam si alia quadam ratione falsum ipsi persuaseris, neque vero plus valere ad impediendum atque debilitandum sermonis usum (cujus rei quantum sit

m) Quomodo quis fallere queat sermone, quamvis nihil falsi enuntiet, ostendimus § 4. pag. 26-27 et 33-34.

n) Cfratur § 2. pag. 16.

ethicum momentum paulo ante docuimus) directam falsi enuntiationem quam indirectam ejusdem insinuationem. Ea autem quum ita se habeant, jure nostro concludere nobis videmur, enuntiandi falsitatem nullius esse ad ethicam mendacii aestimationem momenti, neque igitur aliam ejus esse aut majorem quam caeterarum, quae sermone committantur, fallaciarum turpitudinem. — Objiciat aliquis, nullam igitur fuisse rationem, cur ab universo earum fallaciarum genere, quae in cogitatorum inter homines commercio obtineant, mendacium distingueremus *o*), quippe quum de hac specie idem quod de genere ethicum judicium ferendum sit. Ad quod respondeo primum, haud parvum esse posse illius distinctionis momentum, quamvis nihil faciat ad ethicam utriusque notionis aestimationem, deinde, nostrum non fuisse, ut mendacii nomine notionem aliquam induceremus, quae peculiari quadam turpitudine premeretur, id contra nobis fuisse agendum, ut veram atque genuinam inventam daremus mendacii notionem et ita demum de ejus vel honestate vel turpitudine institueremus quaestionem. Quamobrem manifestum est, non esse mirandum, siquid nobis fuerit in mendacio definiendo urgendum, quod ad ejus turpitudinem nihil omnino

o) Cfratur, ubi hanc distinctionem induximus § 4.

conferat, neque enim licuisse, ut, quae notae nullam secum laturae essent turpitudinis maculam, eas ideo in definiendo excluderemus. Tantum abest igitur, ut ab hac objectione nobis metuendum esse putemus, ut illam ipsam, unde petita est, discrepantiae speciem pro nobis militare statuamus, quippe quae ostendat, dum in constituenda mendacii notione occuparemus, non fuisse nobis obversatum, certe non valuisse ad eam temerandam nostrum qualecunque de ejus turpitudine judicium.

Monstravimus, quodnam sit singularum, quae ad mendacium constituendum faciant, notarum, si per se spectentur, ethicum momentum, quaenam earundem, si junctae occurrant, ad leges conscientiae relatio, quibus constitutis, absolutus est universus, cui hoc posterius opusculi nostri caput dicavimus, de mendacio ethice aestimando locus. — Restat, ut nostram in his quaestionibus operam lectoribus commendemus, simul vero eos rogatos habeamus, ut, si quae ipsis videantur minus solide vel disputata vel probata, meminerint, etiamsi quis veracitatis patronus causa ceciderit, at veracitatem non ideo esse causa casuram.
